







600003998Z



INSTITUTIO
ORATORIS SACRI.

1830

INSTITUTIO
ORATORIS SACRI.

EDIDIT

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud S. et J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXIX.

PRAEFATIO.

Si, quod olim Poëtas probari cupientes monuit HORATIUS, ut carmina sua nonum in annum premerent, aliis quoque scriptoribus, qui quid lectu dignum in lucem edere volunt, jure meritoque commendatur; equidem certe non habeo, cujus me vehementer poeniteat. Ante novem enim et quod superat annos, cum diu multumque frustra quaesivissem librum, quo ad *Oratoris Sacri Institutionem* tanquam duce uterer; ipse, manu operi admota, lineamenta quaedam hujus disciplinae mihi scribere incipiebam. Quod inceptum aliquamdiu, ut recentibus in rebus fieri solet, magno animi fervore persecutus, sperabam fore, ut brevi illud absolvere atque juris publici facere possem. Sed libri edendi vix, data occasione, in vulgus exiit promissio, quin, ecce! plures una fidei liberandae se opponant difficultates. Identidem praeter opinionem occupationibus implicor, quae a proposito mentem longissime avocant. Per otia vero paulisper ad il-

 lud

lud reversus, quo acrius telam detexere studeo, eo gravius illa mihi facessit negotium. Crescit inter scribendum rerum perpendendarum materia. Librorum itidem, quorum lectionem detrectare nequeo, continuo crescit apparatus. Haud raro, quod antea mihi placuit, multis nominibus emendandum vel prorsus mutandum esse deprehenditur. Et cum non de asini, ut hoc utar, umbra, sed de eo quaestio agatur, quomodo animi ex errorum et cupiditatum vinculis eripiantur et ad pietatem ac beatitatem veri nominis perducantur; religio mihi quam maxime est levius quid aut imprudentius praecipere. Interea unus alterque et vero plures praetervolant anni. Quid plura? Sortem patior eorum, qui in locorum se contulere angustias, unde se expedire nequeant. Sed pedem referre atque in salebra manere aeque pudet. Itaque tandem, Amstelaedamo Lugdunum profectus, nihil aliud mihi superesse vidi, quam redintegratis et renovatis animi viribus operi instare, quae ante jam scripta erant, in omnes denuo partes versare, vitiis et erroribus affecta corrigere, inchoata absolvere, horas quasque subsecivas huic labori impendere. Atque sic post multa rerum discrimina promissum praestare mihi contigit.

Hic igitur tibi, Lector! praecipua eorum, quae Viri Docti de Oratoris Sacri munere monuerunt, variis ex fontibus habebis collecta et contracta breviter; neque meram tamen et supervacaneam ante

jam

jam dictorum repetitionem. Primum enim, ut ad subtilem institutionis scholasticae rationem ordinis adjungeretur perspicuitas; *novam* quandam *formam* huic disciplinae induendam esse putabam. Deinde Oratoris Sacri *praeparatio* ad rectam muneris sui administrationem, cujus maxima pars vulgo praetermittitur vel obiter tantum attingitur, ejus mihi esse videbatur ponderis, ut copiose exponenda esset. Praeterea huic Oratori constituta lege *de rebus Sacris et quidem Christianis oratione soluta, perpetua et populari pro concione dicendi ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani sint;* ex hoc tanquam capite et principio omnem meam pendentem feci scriptionem: de quo quidem, cum lex illa doctrinae Christianae plane consentanea sit, nec Philosophiae veri nominis repugnet, et vero sua se quoque, nisi fallor, commendet simplicitate, graviorem in reprehensionem me incursurum non esse confido. Nec temere aut vana novi dicendi cupiditate, sed deliberato consilio gravibusque de causis factum esse scio, quod subinde, ipsis in rebus explicandis, a virorum mihi aestumatorum sententia discedendum esse censerem, vel tritam et consuetam viam desererem. Unde quisque velim intelligat, quomodo disputationes de Orationis *popularitate*, *duplici forma*, *exordio*, *partitione*, *dictione* et plura alia majoris minorisve ponderis accipienda sint. Sed recte an minus recte variis in quaestionibus tractandis versatus sim, aliorum judi-

cio relinquendum est: quos tamen, ne in publico sententiam ante ferant, quam totam hujus operis seriem et contextum perlustraverint, minus mea, quam ipsius disciplinae causa, enixe rogo et obsecro.

Librum tam lectioni destinavi domesticae, quam usui scholastico. Sed nonnulla tamen continet, quae vix alii penitus intelligere poterunt, quam Oratores Sacri, aliquot annos dicendi munere jam functi. Ceteri igitur, quaeso, judicium differant, usque dum doctiores evaserint experientia, aut ipse hanc institutionem iis in schola explicavero! Quod ut suo tempore mihi facilius esset, orationi continuae brevem subjeci annotationem, illud ipsum lectorum quoque commodis inserviturum augurans. Scriptores autem, quorum libris usus sum, non notavi omnes, sed tantum praecipuos: neque eos tamen solos, qui mihi lucem accenderant, vel admonitiones meas confirmabant, sed etiam dissentientes, quibus celata quam commemorata lite contradicere, satius humaniusque mihi plerumque videbatur. Unum est, quod valde doleam, me nonnullos frustra expetiisse libros, praesertim breviores quasdam easdemque laudem nactas commentationes, quae *Monographiae* appellari solent. Postremam operis praeclari a SCHOTTO elaborati partem ex Germania demum accepi, cum omnia mea jam absoluta et fere typis expressa erant.

At in eo fore praevideo ut nonnulli offendantur, quod

quod hanc Oratoris Sacri Institutionem feci *Latinam.* Qui si homines tantum essent leves, et vulgares, et nihil aliud quaerentes, quam quo turpissimam suam literarum bonarum praetexant ignorantiam, equidem hujusmodi offensionem non valde curarem. Sed sunt, eheu! viri insuper graves doctique, et de sua, quam profitentur, disciplina bene meriti, quibus hanc fraudem fecerint quaenam, haud scio, praestigiae, ut, admissa hujus seculi labe, insulsis rabularum clamoribus adversus Latini sermonis usum applauderent. Quorum igitur ne mihi noceat auctoritas, consilii mei causae exponendae sunt.

Cum nempe satis longi temporis experientia mihi persuasum esset, nihil tam plane et accurate explicari solere, quam quod, orationis Latinae inveniendae et disponendae causa, majorem sibi, et animi contentionem et moram scribendi requirat; equidem, quo magis hanc disciplinam ab omni parte pertentatam haberem, sermonem illum Romanorum veterum vernaculo praeferendum esse ducebam. Neque vero hominibus istis protervis, qui crassa et invita Minerva dicendi munus appetunt perque fas et nefas in illud invadere cupiunt, ad studiorum compendium sibi faciendum succurrere decreveram. Ita et committere nolebam, ut vulgus ignobile, cerdones, sutores, salsamentarii, ex meo qualicunque labore tanquam alimentum caperet ar-

INSTITUTIO

ORATORIS SACRI.

EDIDIT

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud S. et J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXIX.

rogantiae, qua eorum haud pauci Oratores Sacros suum scilicet ad judicium jam vocare solent. Sed lectoribus melioris notae et indolis, qui vel dicendi provinciam non ita pridem cum omnium bonorum approbatione ingressi erant, vel ad eam bene et laudabiliter suo tempore suscipiendam tendebant, me ducem praebere constitueram, quo promtius ac diligentius hi quidem se praepararent, illi vero praeparata tum usurparent, tum amplificarent. Et populares certe meos inprimis in mente habebam, ideoque singula ad harum regionum rationes instruebam, sed vel sic quidem librum ita in lucem edere placebat, ut et ad extraneorum hominum pervenire posset notitiam. Nec me de ipsa Theologia haud male meriturum esse sperabam, si recenti exemplo aequalibus meis commonstrarem, sermonem Latinum, etiamsi tantae non sit amplitudinis, quantam ei tribuisse videatur CICERO, angustioribus tamen non circumscriptum esse limitibus, quam ut Oratoris Sacri etiam Institutionem capiat. Quae omnia cumulo denique augebat illud, quod, si haec scriptio scholis meis destinata erat, eodem sermone utendum esset Latino, nisi a more majorum sine causa satis gravi discederetur.

At quaedam, quis fortasse dixerit, hoc habebat incommoda!

Habebat vero: videlicet orationem prodiisse Veteres imitantem, sed novorum interdum verborum interjectione: plus semel ad explicanda, quae homi-

nes

nes recentiores breviter dicant, longiore circumlocutione opus fuisse: haud pauca, quae nostrae aetatis scriptores de Oratoris Sacri munere egregie moneant, ad lectorem perferri non potuisse, nisi interpretatione, quae auctori suo semper nonnihil detrahit, interponenda: denique me omnibus sermonis Latini ignaris hujus libri aditum, tanquam sacrarium profanis, occlusisse; ceteris, ut mentem meam intelligerent, negotium objecisse, quod scriptionis vernaculae lectioni non ita inesse soleat. Sed haec quidem incommoda, pars, in omnis sermonis cadunt usum; pars, ut dicam, quod sentio, magis mihi gaudio quam dolori sunt; pars vero, nulla alia pariunt damna, quam quae utilitatibus supra laudatis uberrime compensantur. Ceterum plura mihi non suppetunt; tu, Lector! si memineris, eloquere!

Enimvero, inquit, in hac, qua fruimur, doctrinarum luce, excutiendam tandem illam esse linguae dudum obsoletae servitutem, quam medii aevi inscitia in Europam induxerit, et hominum usque toleraverit superstitio: quod jam pueros premit in scholis, ubi in literarum rudimentis longorum annorum tempus consumitur vitaeque vere humanae surripitur.

Quasi illi cum literarum rudimentis nihil boni et praeclari accipiant: aut qui operam dant sermoni Latino, ex nitidissimis quibusque, quos versant, scriptoribus, uberrimam rerum utilium petere non possint

sint cognitionem! Sed quid ultra? Accusationem suo jam tempore, cum *libros* ARISTOTELIS *de moribus repetiturus* erat, satis superque diluit MURETUS. Quod autem medii aevi vituperas inscitiam; recte quidem illud: modo concedas velim, quae inde ad nos perlata sint, nulla temporis habita vel originis ratione, per se ipsa ponderanda esse. Atqui hoc, de quo nunc loquimur, ponderato munere, medium aevum de rebus humanis bene meruisse puto, quippe quod omnibus artium ac disciplinarum cultoribus linguam adeoque civitatem faceret communem.

Monachorum dicis ordinem, quorum ne [dominatio in populos concuteretur, sermonis antiqui involucris obscurandum et ab oculis vulgi occultandum erat quidquid mentem humanam illustrare potest?

Intelligo, quid stomacheris: Majores, nempe, quotquot literas colerent, quasi arcem sibi condidisse, ubi, Monachorum instar, vitam solitariam agerent, omne mortalium genus, quod humi serpere sinebant, grandi supercilio despicientes; adeo ut vel patrii sermonis minus periti, quin in eo plane hospites essent. Et sane! haud paucos, fateor atque confiteor, affecit transversosque egit haec erudita superbia: caveto tantum, culpam conferas in omnes! Sed satis profecto humanitati datum est, quod recentiora tempora hoc crimen eluerunt, et viros literatos vitae communi reddiderunt. Qui ve-

vero ordinem, quo viri illi a ceteris civibus distinguuntur, destruere, et linguae communis usum, quod tanquam vinculum eos mutuo conjungit, abolere annititur, quaeso, ne aegre ferat, si quis usurpaverit illud:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Sed GRASSUM nosti, ejusque *disputationem pro linguae latinae usu*, quae hanc omnem dirimit litem et controversiam: ut ne locus sit argumento, quod vulgo ex hodierno populorum exterorum more petitur.

Hoc tibi dem, rogas, quae Viris Doctis scribantur, scribi posse Latine? Age! dabo lubens: nam, quod contendunt nonnulli, hunc honorem linguae Franco-Gallorum decernendum esse, nimis urgere nolo, ne, aut ceteris gentibus injuriam fieri dicas, cum huic uni tribuam principatum; aut vel sumere tibi videar, omnes omnium terrarum homines, qui in literis ac disciplinis versentur, tantum sibi hujus linguae comparare posse peritiam, ut ea, quod oportet, probabiliter scribant, ne dicam, pulchre et eleganter. Sed lingua, qua juvenes in scholis ad munus Sacrum vel civile instituuntur, vernacula sit. Hac enim Jureconsulti utuntur, ubi causas agunt; Medici, de morbis cum aegrotis colloquentes; Theologi quoque in rebus provinciae quisque suae curandis, puerisque erudiendis, et si, quod nunc in quaestione est, dicunt pro concione populi.

Jureconsulti sibi consulant: item Medici, ut nuper

per noster PRUYS VAN DER HOEVEN. In Theologia autem, quae nostra provincia est, *esse fatemur nonnulla, quae non tantum aptius, sed utilius hodierno quodam sermone explicentur.* Sunt BAKII, optimi harum rerum judicis, verba, *Bibliothecae Criticae Novae* praemissa: quae quidni ego sine scrupulo ad *Catecheticam* referam et *Curam Pastoralem:* hac tamen conditione, ne quis sermonis hodierni usum plane dicat necessarium? Et si cui hanc Oratoris Sacri Institutionem lingua vernacula tradere placuerit, illud ferri posse, ultro largior. Ceterum vero omnis Theologi institutio sit maneatque Latina.

Oraculum edis, ac si de tripode: sed quod, vereor, ut majorem habeat fidem, quam responsa APOLLINIS *Pythii!*

Errare quippe humanum est. Attamen hanc in sententiam me omnis mea perduxit experientia, neque mea tantum, quae tenuior est, sed Virorum Clarissimorum, VOORSTII etiam mei, plus quam septuagenarii, et PALMII, ad aetatem illam vergentis, quibuscum plus semel hac de re me colloqui memini.

Gravissima vero auctoritas, necesse tamen est, ut ad eam accedat argumentorum pondus!

Ita est, benevole et amice Lector! Sed aures adverte! Narrabo tibi illud omne, quod gaudium mihi facit, cum sermonis Latini usum ex scholis nostris, longe plurimis saltem, nondum exulasse videam.

Pri-

Primum omnibus, qui profiteantur Theologiam, familiaritatis utilissimae, ab adolescentia cum CICERONE aliisque Romanorum contractae, conservationem et amplificationem, cum eorum sermone in scholis utantur, non solum minus molestam, sed, si esse velint aliqui, plane necessariam esse. Deinde quae discipulis tradantur, ab omni parte multo magis excussa et elaborata esse solere, quam scholis obtingat, quae sermone habentur vernaculo. Tum iis gratum et venustum antiquitatis adspergi colorem, qui rebus illinc acceptis apprime conveniat. Auribus quoque, si oratio Latina est, non adeo offensioni esse Hebraeas et Graecas, quae in scholis usurpantur, voces, formulasque barbaras, jus quoddam civitatis ibi adeptas. Sed haec, si ita videtur, levia sunt: progrediamur ad graviora! Nonne apud nostrates hic sermonis Latini usus supra quam dici potest confert ad audaciam illam, quae alibi in res pariter Divinas atque humanas caeco impetu irruit, a Theologiae finibus arcendam? Nonne Juvenes eo adjuvantur ad lectionem Veterum, unde tantum boni et praeclari in Theologum redundare potest, non solum quamdiu in Academia sunt, sed diu postea, si per otium licet, persequendam? Nonne iidem ad scripta, tum Patrum, qui dicuntur, Ecclesiasticorum, tum virorum immortalium, a quibus Sacrorum instauratio profecta est, strenue ac diligenter versanda propensiores, promptioresque redduntur?

Mit-

Mitto, quod Theologiae aliarumque disciplinarum cultoribus commune est, hoc sermonis Latini usu, unum alterumque et plures, qui ex meliori luto formati sint, praeparari ad elaborandas non tantum disputationes Academicas, sed scriptiones etiam auctoris nomen ad posteritatem perlaturas.

Pulchre, bene, recte omnia; Latina modo sint, quae loquuntur Theologi! Est vero, qui hanc laudem mereatur,

corvo quoque rarior albo.

Audistin', quid de CALVINO SCALIGER? Orationem ejus stili fuisse sat purgati et elegantioris, quam deceret Theologum.

Ut hac viri immortalis, sed qui his in literis unus regnare volebat, superbissima voce mirifice defensum is lutulentum et sordidum illud dicendi genus, quod Theologorum tantum non omnium scripta ab antiquo affecit!

Enimvero horum temporum felicitati quaerebam laudem. Majores enim quod attinet, illi sane me defensore non indigent, quippe quorum haud pauci, quod in oratione peccabant, ipsarum rerum gravitate et amplitudine adeo compensare sciverunt, ut intelligentium omnium admirationem nondum movere desinant. Sed aetatem nos vivimus, qua, uti ad literas Graecas, ita ad orationem Latinam multo major quam olim, a Theologis quoque, adhibeatur cura et diligentia. Quod nuper HEUSDIUS in *Initiis Philosophiae Plato-*

tonicae nobis, aequalibus suis, gratulaturus, *novum* dixit *quoddam Jureconsultorum et vero Theologorum genus exortum esse*, *humanum*. *cultum*, *literis perpolitum*. Ceterum a Theologo nemo prudens orationem postulaverit tam puram et exquisitam, quam ab ipsis illis viris, qui profitentur literas: sed levis quaedam aberratio a Veterum nitore nobis facile condonatur, mox modo in viam redeamus, neque persistamus in luto. At haec hactenus. Nondum omnis confecta disputatio est. Finge tibi sermonem Latinum scholis, tanquam regno suo, ejectum! Jam caecus sis oportet, ni videas, omnia laudabilia, quae supra attigimus, penitus everti: ipsius hujus sermonis Latini, cujus peritia nemo paulo humanior carere potest, ubique ingravescere ignorantiam: lectionem librorum praestantissimorum, quos veteres Romani aliique postea nobis reliquerunt, magis magisque abire in desuetudinem: levia et audacia hominum, qui haud secus doctrina quam aetate tirones sint, de rebus Divinis judicia increbrescere: proclivitatem hujus seculi ad notitias vulgares, quae pestis exsecrabilis jam longe lateque serpit, per has quoque regiones gliscere et aeque bonorum ac malorum mentes corrumpere, et quae hujus generis plura sunt.

Infausta canis omina! sed, heus tu! si haec nobis imminent, imminent sine dubio temporum labe; ab exilio vero sermonis Latini, ut tu portendis, nullo modo metuenda sunt.

Re-

bus numeris absoluti, imago, ut quisque eam intueretur atque omni diligentia referre conaretur. Ad quam quidem diligentiam si unum modo alterumque lectorem admovero, praemium consecutus esse videbor, quo nullum pulchrius et optabilius sit. Inprimis vero Vos Juvenes, qui in Theologiae studiis versamini, hoc ex libro intelligatis, velim, aliud, ut Veterum quis dicere solebat, eloquentiam, aliud loquentiam esse: ad hanc quidem omnibus, modo ne plane bruti sint, patere viam; ad illam vero vobis comparandam, praeter praeclaras mentis corporisque dotes, duo maxime requiri: laboris assiduitatem, et conjunctam cum virtute pietatem! Quod quo penitius pectoribus vestris impressum erit atque inculcatum, eo religiosius vitam Academicam ita agere studebitis, ut inde ad vitam publicam, Deo vobis opitulante, quam maximum emolumentum redundare possit.



I N-

INTROITUS.

DE INSTITUTIONE ORATORIS SACRI UNIVERSA.

§. 1.

Institutio Oratoris Sacri, quam nobis tradere proposuimus, varias appellationes sortita est: nam alii eam dixerunt *Rhetoricam Sacram*; alii *Homileticam*; alii *artem concionandi*, vel *praedicandi*; alii aliter.

§. 2.

Rhetoricae nomine Graeci et Romani, tum ipsam bene dicendi facultatem denotarunt; tum institutionem hominum ad hanc sibi facultatem comparandam (†). Quorum ad exemplum institutio Oratoris Sacri recentiore aetate *Rhetoricae Sacrae* titulo insignita est. Hanc vero nonnulli distinguere neglexerunt a *Rhetorica Literarum Sacrarum*, quae viam docet et rationem orationis harum literarum figuratae a propria bene discernendae.

§. 3.

Eandem vim habet appellatio *Homileticae*, quae et ipsa Graeco debetur sermoni; in quo vox ὁμιλία familia-rem

(†) Schott. *Die Theorie der Beredsamkeit*. Tom. I. p. 108 sqq.

rem hominum, et consuetudinem denotat, et collocutionem: quippe inter quas ea intercedit necessitudo, ut utilitatis et voluptatis, quas illa homini afferre solet, longe maxima pars ex hac oriatur.

§. 4.

Veteres igitur doctores nominis Christiani, cum rationem, qua populo religionis doctrinam tradebant, magis collocutioni familiari convenire judicarent, quam Graecorum et Romanorum orationibus; eam ὁμιλίαν quam λόγον dicere maluerunt (†). Hac autem voce, postquam semel usitari inceperat, orationem sacram qualemcunque appellare, more receptum est: donec recentiore aetate viri docti ὁμιλίαν ita definirent, ut ea singulare aliquod orationum sacrarum genus ab aliis discerneretur.

§. 5.

Tantum vero abest, ut *Homileticae* appellatio hac mutatione limitibus quoque circumscripta sit, ut eandem notionis amplitudinem, quae *Rhetoricae Sacrae* appellationi responderet, ad haec nostra retinuerit tempora; quin etiam usu multo frequentiore quam haec viguerit: fortasse, ne populares religionis Christianae doctores eodem in ordine collocari viderentur, atque oratores illi, qui in curia, vel in judicio, vel pro populo de rebus dicunt civilibus.

§. 6.

(†) Photius in *Bibliotheca*. Cod. CLXXII. Tom. I. p. 118. Bekkeri.

§. 6.

Qui, ut vocabula Graeca hinc relegentur, *de arte concionandi* vel *praedicandi* potius, quam de *Rhetorica Sacra* aut *Homiletica*, loquuntur, verbis antiquis notionem tribuunt novam et scriptoribus bonae et probatae latinitatis incognitam: quod omnino cavendum videtur; quamquam verbo *praedicandi*, vocibusque ex eo ortis, jus illud civitatis, quod in recentiorum populorum sermone obtinuerunt, nemo mentis sanae adimere voluerit.

§. 7.

Nobis quidem de verbis disceptare non lubet; sed hunc tamen librum, et latinitatis, et vero perspicuitatis causa, *Institutionem Oratoris Sacri* inscripsimus: quam ita tradere nobis constitutum est, ut lectoribus *Oratoris Sacri informandi scientiam* (†) vel *disciplinam* adhibeamus (*).

§. 8.

At huic disciplinae haud secus ac Rhetoricae universae multum honoris decedit, si jure suo nonnulli contenderunt, *eloquentiam*, quae Athenis et Romae floruisset, unâ cum harum civitatum libertate periisse; neque igitur oratorem veri nominis amplius existe-

(†) Ita QUINCTILIANUS, *Instit. Orat.* Lib. II. cap. 15.

(*) TITTMANN, *Lehrbuch der Homiletik*. p. 4. SCHOTT. l. c. p. 422, 423. Cf. BOUTERWEK *Aesthetik*. Tom. I. p. 6 sqq. ed. alt.

istere posse (†): sed qui ita ratiocinantur, ipsius eloquentiae interitum cum formae ejus mutatione confundunt, et minus meminerunt quoque, eam facultatem esse, quae, cum naturae humanae propria sit, nullo modo exstinguatur (*).

§. 9.

Multo acrius refelli merentur, qui historiae veterum et recentiorum temporum testimoniis abutentes, eloquentiam honestati adversari perhibent; quippe quae id unum machinetur, ut hominum mentes fallaciis circumveniat et corrumpat (§). Ex eo enim, quod multi hanc in se contraxere culpam, monente jam AUGUSTINO (‡), non sequitur, ignominiae notam ipsi inurendam esse eloquentiae: cui sane, nisi extra fines sibi constitutos audacter egreditur, omnino repugnat, quidquid ab honesto vel transversum discedit unguem (††).

§. 10.

(†) LONGINUS, περὶ ὕψους. cap. 44, ubi et aliae causae, cur eloquentia defloruerit, memorantur. Cf. *Dialogus de caussis corruptae eloquentiae.* cap. 28 sqq.

(*) THEREMIN, *die Beredsamkeit eine Tugend.* p. 6, 7. SCHOTT. l. c, p. 265 sqq.

(§) MELLIN, *Encyclopädisches Wörterbuch der Kritischen Philosophie* Tom. I. Part. 2. p. 532 sq. Eleganter autem hanc, scilicet, eloquentiam DIOGENES *Cynicus μελιτίνην ἀγχόνην*, *mellitum laqueum*, vocat apud DIOG. LAËRT. *Vit. Philos.* Lib. VI. Segm. 51.

(‡) De *doctrina Christiana* Lib. II. cap. 36.

(††) FRANCII *Or. pro eloq.* in ejus *Posthumis* p. 71. SCHOTT. l. c. p. 264: nec non LONGINUS cap. 38, ubi inter alia ISOCRATES reprehenditur, qui in *Panegyrici* sui introitu hanc oratio-

nis

§. 10.

Ita et quod volunt, eloquentiam hominum animis tanquam catenas injicere, quibus, quorsum velit orator, servorum instar trahantur (†), fucatae et falsae obstat eloquentiae, non verae et sincerae, quae ipsa id maxime agit, ut homines ad libertatis suae usum impellantur (*).

§. 11.

Neque audiendi sunt, qui religionem ejus indolis esse dicunt, ut eloquentiam ad causam suam tuendam non admittat, sed longissime a se rejiciat: nam ab his quoque eloquentiae notio pervertitur. Confusione autem sublata, nemo non intelligit, religionem hominibus, ut iis reapse prosit, explicandam et commendandam esse; atque hoc non aliter fieri posse, quam bene dicendo, id est, eloquentia: quemadmodum omnium temporum experientia docet, doctores populi, hac eloquentiae luce carentes, non solum ad omnia ineptos esse; sed etiam CHRISTI causam sannionum risui et ludibrio exponere (§).

§. 12.

nis esse scripsit virtutem, ut res pro lubitu amplificet et extenuet.

(†) KANT, *Critik der Urtheilskraft.* p. 205 sqq.

(*) SCHOTT. p. 258 sqq. THEREM. p. 7 sqq. Cf. LOCKE, *Essai Philos. concernant l'entendement humain.* Lib. III. cap. 10.

(§) SCHOTT. p. 360 sqq. MARREZOLL *over de bestemming van den Kerkelijken redenaar.* p. 52 sqq. Cf. liber, cui titulus: *Essai sur l'Art oratoire.* p. 220.

§. 12.

Ceterum PAULUM *Apostolum*, cum priorem ad *Corinthios* epistolam scriberet, inanem verborum ac sententiarum splendorem, non veri nominis eloquentiam vituperasse (†); et clarissimos ab antiquo religionis Christianae doctores, quamvis in Graecorum Romanorumque oratorum vitiis non conniverent, vel sic tamen ad eam adspirasse (*), omnes norunt intelligentes harum rerum judices.

§. 13.

Jam vero, uti eloquentia, priusquam ARISTOTELES ad oratorem instituendum scriberet, DEMOSTHENEM floruisse novimus, et neminem hominum arte quadam ad eam pervenire posse scimus, quem ad bene dicendum ipsa non formaverit natura; ita fatendum est, *Rhetoricam* multo magis versari in vitiis, a quibus orator sibi cavere debeat, ostendendis et corrigendis, quam in praescribendis regulis, quarum observatione bene dicendi facultas acquiratur (§).

§. 14.

Jure igitur meritoque PLATO SOCRATEM jam induxit ri-

(†) HEMSTERHUSII *Or. de* PAULO *Apostolo*, in Fascic. *Oratt. ipsius* et VALCKENAERII p. 28 sqq. VAN HENGEL, *Or. de relig. Christ. discipl. ver. ac. nat. eloq. uberr. nutrice.* p. 30, 31.

(*) MAURY, *Essai sur l'eloquence de la chaire.* Par. 1810. Tom. II. p. 214 sqq. et qui ibi laudantur. VAN HENGEL l. c. p. 16 sqq.

(§) DIONYS. HALICARN. opp. Tom. II. p. 120. ed. Lips. 1691. QUINCTIL. Lib. III. c. 2.

ridentem vanitatem sophistarum, qui cum Rhetoricam πειθοῦς δημιουργὸν, *persuasionis fabricatorem*, appellarent, hominibus credulis et imperitis spem facerent fore, ut Rhetorica illa ediscenda oratores fierent perfecti et omnibus numeris absoluti (†).

§. 15.

Et quoniam multi ab antiquo Rhetoricam haud secus, quam eloquentiam ad circumveniendos et decipiendos homines convertebant; doctores ejus non solum plus semel Roma aliisque civitatibus expulsi sunt, aut in suorum certe aequalium reprehensionem incucurrerunt; sed ipsa etiam disciplina turpitudinis nota insignita est (*).

§. 16.

Quod tamen ab iis tantum fieri potuit, qui insignis utilitatis, a Rhetorica sperandae, plane erant immemores: illam nempe viam ostendere virtutes et vitia orationis a se invicem distinguendi: deinde claram et perspicuam oratoris veri et perfecti proponere imaginem, qua contemplanda quisque paulo humanior ad vires suas in eloquentiae studio exercendas impellatur: denique orationis omnino elegantis nobis praebere exempla, in quae, tanquam in speculum,

(†) PLATONIS *Gorgias.* Tom. I. pag. 453 STEPH.
(*) Liber *de claris oratoribus*, SUETONIO adscriptus. cap. 1. CRAGIUS, *de Republica Lacedaemoniorum.* p. 288, 292 sqq. LACTANT. *Instit. Divin.* Lib. I. cap. 1. LUCIAN. *Rhetor. praec.* opp. Tom. III. p. 1 sqq. REITZ.

lum, intuentes, et vitia nostra corrigamus, et pulchri sensum, in animo residentem, alamus atque augeamus (†).

§. 17.

Si Rhetorica laudari meretur, multo magis *Rhetorica Sacra*, vel *Institutio Oratoris Sacri:* haec enim versatur in viris ad dicendum informandis, qui, ut religioni Christianae desiderium sui sine damno relinquere nequeunt, ita ad salutem, et singulorum hominum, et universae eorum societatis longe plura conferunt, quam ceteri omnes, quotquot oratoris nomine dicuntur (*).

§. 18.

Neque nos conturbat, quod cum ignava et superstitiosa plebe nonnulli clamant, institutionem ad bene dicendum multo magis nocere, quam prodesse oratori, qui totus a *Spiritus Sancti* virtute pendeat. Pars enim, *Spiritus Sancti* appellationi significationem maxime vulgarem tribuentes, temere opinantur, hanc disciplinam praecepta tradere, quorum observatione vis divina in hominum animis comminuatur aut exstinguatur; pars, notionem *Spiritus* illius pervertentes, institutionem Oratoris Sacri hac una

(†) PLATO, *Euthydemus.* Tom. I. p. 306, 307. DIONYS. HALIC. l. c. p. 64, 65. CICERO, *de Invent. Rhet.* Lib. I. cap. 3. sqq.

(*) AMMON, *Anleitung zur Kanzelberedsamkeit* p. 8 sqq. et qui ibi laudantur.

una de causa vituperare videntur, quod ea hominem tanquam rationis sanae coerceat habenis, ne se totum *phantasiae* alis mentisque commotae dedat agitationibus, quarum in coeco impetu sequendo satis crebro eloquentiae ponitur fastigium (†).

§. 19.

Quamvis autem contendere non ausim, institutionem ad bene dicendum Oratori Sacro tam esse necessariam, ut sine ea nemo ullus bene dicere possit; ejus negligentia tamen valde reprehendi meretur. Quemadmodum enim gravius est Oratoris Sacri munus, quam ut coeco fortunae casui relinquere liceat, recte an minus recte administretur; sic illud difficultatibus varii generis sibique propriis laborat, quae cujusmodi sint, et quomodo superari possint, ostendere utilissimum est: ne dicam, hanc disciplinam ita comparatam esse, ut sui studiosos modestiam doceat; modestiam vero nemini majori esse ornamento, quam Oratori Sacro (*).

§. 20.

Si quis experientiae urget testimonium, haud paucos, qui in Academia ad dicendum non instituti essent, satis probabiles et vel praeclaros exstitisse oratores; duo monenda sunt: alterum, eos damnum, quod

(†) August. l. c. Lib. IV. cap. 16.

(*) Tittmann. l. c. p. 4 sqq. schott. p. 420 sqq. Cf. chrysost. *de Sacerd.* lib. IV, cap. 5.

dem, multo minus absolvere potuerunt; ita ad exitum fere medii aevi idem ille stupor, qui plerosque ad inveniendum vel conscribendum, quod pro concione dicerent, plane ineptos faciebat, et ipsam CHRISTI doctrinam densissimis tenebris involvebat, omnem fere Oratoris Sacri institutionem suppressit.

§. 26.

Sed verae et antiquae eloquentiae luce AGRICOLAE ejusque aequalium studio renata, hanc quoque disciplinam illustrarunt REUCHLINUS et ERASMUS, tum vero MELANCHTHON, HYPERIUS aliisque viri egregii, sive sacrorum reformatores dicti, seu eorum aetatem proxime attingentes: qui nempe non solum, doctrina religionis multis, quibus obruta erat, maculis liberanda, causam CHRISTI melius utiliusque, quam per longam seculorum seriem mos tulerat, pro concione agere docuerunt; sed etiam, ipsa Oratoris Sacri institutione ad Rhetoricorum veterum rationem revocanda, formae ejus emendandae viam commonstrarunt.

§. 27.

Cum autem, his viris praeclaris ex vita sublatis, plerorumque hominum animi ad languorem reciderent; ceteri vero, pars, in tuenda, quam accepissent, religionis et doctrina et forma, pars multo major, in litibus et controversiis exigui ponderis inter se mutuo gerendis, omnes fere ingenii vires consumerent; multi sacrorum antistites in dicendo negligentiores fa-

facti sunt, ipsique Oratoris Sacri institutioni nihil accessit praeter insulsas divisionum argutias, aut regulas, quibus ea Theologiae tralaticiae tanquam ancilla et pedisequa redderetur: ab altera parte viri, qui temporis sui corruptelae renitebantur, multo magis operam navarunt ad Oratoris Sacri institutionem sordibus, quibus denuo onerata esset, purgandam, quam ad formam ejus emendandam.

§. 28.

Utique ab eo demum tempore, quo, praelucentibus in Gallia et Britannia viris eloquentia claris, tum in Germania, auctore inprimis MOSHEMIO, tum, HOLLEBEEKII et BONNETII studio, in patriae nostrae regionibus, *Analytica* dicendi ratio cum *Synthetica* vel commutari, vel copulari inciperet, Oratoris Sacri institutioni hanc indutam esse reperimus formam, ut ad disciplinae vere ita dictae perfectionem magis magisque erigeretur (†).

§. 29.

Sed ne sic quidem ea disciplinae nomen gerere meretur, priusquam certo et immutabili bene dicendi principio, quod omnes Oratores Sacri religiose sequi debeant, ad scholae leges instructa sit: cujusmo-

(†) BROES, *de Engelsche kerk benevens haren invloed op onze Nederlandsche van den tijd der Hervorming aan.* Tom. II. p. 148 sqq. et VAN HENGEL, *Leerredenen.* Tom. I. Praef. p. VIII sqq.

modi igitur principio et recentiore memoria SCHOTTUS aliique viri docti eam instruere aggressi sunt; et vero ne homines, orationis ad Rhetoricorum diligentiam elaborandae studio, gravissimae illius caussae, cur munus de rebus sacris dicendi sibi mandatum esset, immemores fierent, Oratorem Sacrum omnia dirigere docuerunt ad regnum, quod his in terris CHRISTUS condidit, amplificandum et illustrandum (†).

§. 30.

Atque horum virorum vestigia nunc sequemur, ita tamen, ut a nemine nos pendentes faciamus. *In tres* autem *partes* Oratoris Sacri Institutionem distribuimus: quarum prima ostendat, qualis Oratoris Sacri sit Provincia; altera, quomodo hic Provinciam sibi demandatam administrare debeat; tertia denique, quaenam illa sint, quibus ad hanc Provinciam bene administrandam praeparetur.

(†) De hujus disciplinae historia plura monuerunt MOSHEIM *de Predikkunde*. Tom. I. p. 38 sqq. THYM *Historisch-Kritisches Lehrbuch der Homiletik.* p. 8 sqq. et AMMON, *Geschichte der Homiletik.*



PARS

PARS PRIMA.

OSTENDITUR,

QUALIS ORATORIS SACRI PROVINCIA SIT.

§. 1.

Uti quisque paulo prudentior, cui provincia aliqua obtigit, priusquam eam aggrediatur, in ejus naturam et conditionem inquirere solet; sic quoque omnes, qui Oratores Sacri evadere cupiant, incipere oportet a quaestione: *Qualis Oratoris Sacri Provincia sit.*

§. 2.

Huic autem quaestioni vario quidem modo a viris doctis responsum est, atque etiamnum respondetur: sed, pars, de verbis inter se dissentiunt, de rebus secum invicem consentiunt; ceteris magis dissensionem peperisse videtur opinionum praejudicatarum efficacitas, quam ipsius quaestionis difficultas.

§. 3.

Nos certe, omnibus iterum iterumque ponderatis, hanc Oratoris Sacri Provinciam esse censemus, *ut de rebus Sacris, et quidem Christianis oratione soluta, perpetua et populari pro concione dicat ad auditoribus persuadendum, ut homines sint vere Christiani.*

Quâ

Qua definitione quid nobis velimus, nunc sigillatim commonstrandum est.

§. 4.

Atque hoc in negotio ita versabimur, ut a minoribus deinceps ad majora progrediamur. *Primum* enim agemus de officio Oratoris Sacri oratione soluta, perpetua et populari pro concione dicendi; *deinde* de rebus Sacris et quidem Christianis ab Oratore Sacro tractandis; *denique* de consilio, quo dicere debet Orator Sacer, auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint.

CAPUT I.

De officio Oratoris Sacri soluta, perpetua et populari oratione pro concione dicendi.

§. 1.

Si de officio quaerimus, quod Oratori Sacro impositum est; primum deprehendimus eum, et *dicere* debere *pro concione*, et *oratione* dicere *soluta*, *perpetua et populari.*

§. 2.

Pro concione dicere nihil aliud est, quam orationem habere pro congregata hominum multitudine. Quod cum officium oratori sacro impositum esse,

omnes

omnes inter se consentiant; argumentis uti non opus est, quibus illud comprobetur.

§. 3.

Praeter dicendi munus autem Oratori Sacro alia etiam negotia, quae pro concione populi peragat, mandata sunt: praesertim rituum Sacrorum administratio. Atque haec quomodo se habere debeat, ut vis orationis in animos efficacior reddatur, infra generatim monebimus. Sed rationes rituum bene faciendorum sigillatim exponere, hujus disciplinae non est.

§. 4.

At sine dubio hujus loci est disquisitio, num talis Oratoris Sacri Provincia sit, ut et *Sacerdotis* titulo insigniri mereatur. Quod ut certum habet *Ecclesia*, quae dicitur, tum *Graeca*, tum *Latina*; sic hac nostra aetate viri docti, *Protestantibus* adscripti, probare studuerunt: ita tamen, ut, appellatione *sacerdotis* caute definienda, omnes ab ea amoverent notiones crassiores, quas hominum ignorantia et cupiditas ex Judaeorum gentiumque exterarum religionibus ad religionem Christianam transtulissent (†).

§. 5.

Fatendum sane est, Oratoris Sacri esse, ut causam

(†) MARHEINECKE, *Grundlegung der Homiletik*, p. 47 sqq. SCHOTT l. c. p. 291 sqq. et qui ibi laudantur.

sam, quam suscepit, non solum *dicendo*, sed etiam *agendo* tueatur, id est, *vita pia et honesta.* Nec diffitemur, Oratorem, quicunque muneris sui gravitatem probe sentiat, multas sibi negaturum esse voluptates, quae in rebus mediis ponendae sint, et quibus aliorum ordinum homines sine culpa utantur. Et quemadmodum se CHRISTUS, ad generis humani salutem, victimae instar, Deo tradidit; sic etiam ille, ad CHRISTI exemplum, se totum Deo tradet, ut ne onus ferre, aut aerumnam sustinere recuset, quo bonum commune promoveatur.

§. 6.

Sed quamvis haec vera omniumque animis inculcanda sunt; ne sic tamen Orator Sacer *sacerdos* dici potest: nisi huic voci notionem tribuere volumus, et figuratam, et a loquendi usu prorsus remotam. Quod valde improbandum videtur: quoniam ab altera parte nihil affert emolumenti; ab altera vero ansam praebet gravissimis erroribus committendis (†).

§. 7.

Novimus quidem, in libris *Novi Testamenti* reperiri loca (*), in quibus, et generatim sectatores CHRISTI, et sigillatim ejus *Apostoli* cum *sacrificio* com-

(†) BORGERUS, *de Mysticismo.* p. 182 sqq.

(*) *Rom.* XII: 1. XV: 16. *Phil.* II: 17. *Hebr.* XIII: 15. 1 *Pet.* II: 5, 9. *Apoc.* I: 6. V: 10. XX: 6.

comparentur; sed, aut vehementer fallimur, aut viri docti haec loca ad *sacerdotis* titulum Oratori Sacro vindicandum temere arripuerunt.

§. 8.

Christi nempe sectatores ejusque Apostoli nuspiam ἱερεῖς vel *sacerdotes* esse dicuntur: immo vero, ubi Christus unus ille vocatur sacerdos, qui sanguine suo pro hominibus effundendo sacrificium fecit, ad peccatorum remissionem semper valiturum (†); a societate hominum ipsi consecratorum amovetur, quidquid ad muneris sacerdotalis officia referri potest.

§. 9.

Si autem Oratores Sacri desideriis et cupiditatibus suis, ubi hoc Christi causa postulat, renunciare, seque Deo tanquam sacrificium purum et illibatum offerre jubentur; eidem plane subjiciuntur legi, atque omnes homines Christiani: neque ad Christi imitationem vocantur, quatenus *sacerdotis* gessit personam, sed quatenus iis *exemplo* fuit, se hominem praestans, qui totius vitae suae rationem ad voluntatem Dei institueret, ipsique adeo obediret, ut ne atrocissimum in se suscipere recusaret crucis supplicium (*).

§. 10.

(†) *Matth.* XX: 28. *Joann.* VI: 51. *Eph.* V: 2. *Hebr.* IX: 11, 12, 25, 26. X: 11, 12, 14, 19 sqq.

(*) *Joann.* XIII: 15. XV: 12. *Rom.* VI: 3, 4. *Eph.* V: 2. *Phil.* II: 5—12. *Col.* III: 13. 1 *Pet.* II: 21—25. 1 *Joann.* II: 6. III: 16. Cff. Keilii *Opusc. Acad.* p. 106 sqq.

§. 10.

Quae cum ita sint, ne sua quoque auctoritate clarissimi *Ecclesiae Patres* (†), aut qui antiquiore memoria *Protestantium* familiam illustrarunt (*), nos commovere possunt, ut, appellationem nunc obsoletiorem recipientes, Oratorem Sacrum *sacerdotis* titulo dicamus (§).

§. 11.

Et cum vita illa honesta, pia, Deoque devota, quam supra laudavimus, Oratori Sacro quidem, ut Provinciam suam bene administret, deësse nequeat, sed Provinciae tamen ipsi demandatae partem in se non contineat; rationem ita concludimus, munus ejus absolvi pro concione *dicendo*, et *oratione* quidem, ut nunc ostendendum est, *soluta*, *perpetua*, *populari*.

§. 12.

Oratio soluta est, quae, certorum ac demensorum pedum vinculis non adstricta, in syllabarum vocumque usu libere procedit. Vulgo *Prosa* dicitur, et a *Poësi*, seu *oratione ligata* distinguitur.

§. 13.

(†) Neander, *der heilige Johannes Chrysostomus.* Tom. I. p. 113 sqq.

(*) Musculus, *Loci communes* p. 368 sqq.

(§) Des Amorie van der Hoeven, *Joannes Chrysostomus, voornamelijk beschouwd als een voorbeeld van ware kanselwelsprekendheid* p. 92 sqq.

§. 13.

Quemadmodum autem oratio ligata suos tanquam gradus habet, ut in alio carminum genere sublimior, in alio planior seu depressior sit; sic omnis etiam oratio soluta non eundem tenet gradum, sed nunc superioris, nunc inferioris ordinis est (†).

§. 14.

Oratio soluta superioris ordinis se nec ad *Poëseos* extollit splendorem, neque ad *Prosae vulgaris* simplicitatem demittit, sed in utriusque quasi incedit medio, et hujus perspicuitatem, et illius suavitatem sibi attrahens, atque cum gravitate sibi propria conjungens. Num hac vero de causa oratio humana in tria dispertienda sit genera, quorum primo *Poësis*, altero *Prosa vulgaris*, tertio *Eloquentia oratoria* comprehendatur, equidem valde dubito.

§. 15.

Sed, quidquid hujus rei est, Oratoris cujuslibet adeoque Sacri esse, ut *oratione soluta superioris*, non inferioris *ordinis* utatur, perspicue docemur; si nobis, tum pectoris ardorem, qui in eo sine controversia requiritur; tum negotium ejus, ad auditorum *Phantasiam* et sensum pariter atque intelligendi fa-

(†) Cff, BOUTERWEK, l. c. Tom. II. p. 13 sqq. SCHOTT, l. c. p. 63 sqq. et KAISER, *Entwurf eines Systems der geistlichen Rhetorik* p. 2 sqq. Jam QUINCTIL. utriusque ordinis orationem distinxit, alteram tamen minus bene *Prosam* dicens *vinctam*, alteram *dissolutam*. l. c. Lib. XI. c. 2.

facultatem pertinens; tum denique ipsum illud persuadendi proponimus consilium, quo ab eo dicendum esse, infra demonstrabimus.

§. 16.

Hinc sequitur, officio suo deesse Oratorem Sacrum, cujus non assurgat oratio supra id, quod, vel ad res in facto positas narrandas, vel ad doctrinas qualiscunque argumenti explicandas, id est, ad veri tanquam regnum promovendum, hominibus, sive loquentibus, seu scribentibus, usitatum est.

§. 17.

Neque tamen Oratori Sacro licere, ut *extra orationis solutae fines* egrediatur, satis superque ex ipsius rei apparet natura, quippe quae omnes pro concione populi dicentes dicendi rationem sequi jubet, quae in consuetudine familiari cernatur: hic vero ab hominibus, qui magnificentiam verborum affectare nolunt, cogitata enunciantur sermone libero, nec certorum ac demensorum pedum tanquam frenis impedito.

§. 18.

Cui auctoritati accedit argumentum, ex Poëtae et Oratoris diversitate petitum. Ille enim carmen pangit, ut suo satisfaciat ardori, quo ad versus pectore effundendos impellitur; hic vero orationem componit, ut animi sui calefacti sensus impertiat aliis. Ita et alter, carmen suum recitans, id maxime sibi vult, ut audientes delectentur; alteri, ora-

tio-

tionem habenti, studium inprimis inest utilitatis auditoribus afferendae.

§. 19.

Et homines adeo, si ad Poëtam audiendum conveniunt, aliud quid spectant, quam si rerum Divinarum causa ad aedes sacras congregantur. Hic enim sensibus imbui volunt recti et honesti: sed ubi ex carminis recitatione voluptatem perceperunt, nullum iis relinquitur desiderium (†).

§. 20.

Planum igitur et exploratum est, muneris sui immemorem esse Oratorem Sacrum, qui in concionem populi procedat ad recitandum carmen; quod magis urgendum est, quoniam pro hac concione dicenda sunt multa, quae quidem in orationem quadrant solutam, minime vero in ligatam: ne admodum raros esse dicam, qui boni et Poëtae sint, et Oratores (*).

§. 21.

Oratione perpetua utitur, qui nec familiariter cum alio aliisve colloquitur, nec duos pluresve ita secum invicem colloquentes inducit; sed ipse suo nomine mentem continuata sententiarum serie cum auditoribus vel lectoribus communicat: quae igitur oratio tum a *dialogo* differt, tum a *catechesi*.

§. 22.

(†) Schott, l. c. p. 163 sqq. Theremin, l. c. p. 203 sqq.
(*) Maury, l. c. Tom. I. p. 117.

§. 22.

Inter *dialogum*, qui duos pluresve secum mutuo colloquentes facit, et *orationem* pro concione habendam, magna quidem, quatenus in utroque genere *actio* (†) quaedam cernitur, intercedit necessitudo: et *orationem* maxime *sacram* dialogi imitatricem esse, ex ipsa jam *Homiliae* appellatione intelligimus (*).

§. 23.

Jam vero haec imitatio reperitur, ubi Orator Sacer auditores mala sua querentes, quaestionem moventes, sibi renitentes, vel aliquid laudantes, admirantes, desiderantes, verbo dicam, secum agentes inducit: quod, uti orationi tanquam vitam indit, auditorum animos allicientem ac detinentem, ita virorum eloquentissimorum exemplo commendatur (§).

§. 24.

Iisdem de causis *catechesin*, utpote quae aeque ac dialogus cum *oratione* cognationem habet, imitari debet Orator Sacer, ubi pro populi dicit concione. Hoc autem fit, quando, interrogationibus et responsionibus loco suo permutandis, clarae et ex ele-

(†) Quamquam WYTTENBACHIO ad PLATONIS *Phaedonem* p. 107, 108. aliisque concedimus, omnes *dialogos* non esse generis δραματικοῦ; nullus tamen est, in quo non actio quaedam cernatur. Cf. BOUTERWEK, l. c. p. 290, 291.

(*) SCHOTT, p. 436.

(§) MAURY, l. c. Tom. I. p. 80 sq. 354 sqq. SCHOTT, p. 136 sqq. Cf. QUINCT. l. c. Lib. IX. cap. 2.

elementis erutae religionis notitiae hominibus afferuntur (†).

§. 25.

At vero, quamvis haec magni pendenda sunt, neutiquam tamen aut *dialogi*, aut *catecheseos forma* ad dicendum pro concione adhibenda est: sed ea tantum utriusque probari meretur *imitatio*, quae *cum orationis constat perpetuitate.*

§. 26.

Primum enim orationem, quae pro populo habeatur, perpetuam esse debere, ex lege sequitur, Oratori posita, ad universae multitudinis, quae in concionem congregata est, salutem pariter dicendi: quod quominus aut *dialogo* fieri possit, aut *catechesi*, hujus utriusque obstat natura et indoles (*).

§. 27.

Deinde Orator consilium, quo in concionem venit, multo melius celeriusque exsequitur ita dicendo, ut sine mora deinceps procedat, id est, oratione perpetua; quam vel *dialogo* habendo, vel *catechesi:* quibus nunc a progressu aliquamdiu retinetur, nunc in diverticula abducitur (§).

§. 28.

(†) Schwarz, *Catechetik.* p. 195 sqq.

(*) Hyperius, *de formandis concionibus*, Ed. Wagnitz. p. 309 sqq. Tittmann, l. c. p. 141 sqq.

(§) Schott, p. 105, 106.

§. 28.

Et quemadmodum omnium denique vult aetatum usus, ut Orator, misso *dialogo* et *catechesi*, perpetua dicat oratione; ita jam veteres hoc ejus officium *Dialecticae* et *Rhetoricae* distinctione declararunt (†).

§. 29.

Quaestionem quod attinet, quaenam *oratio popularis* sit; multum controversiae peperit appellationis *populi* ambiguitas: quare, ut sententiae in concordiam redigantur, incipere debemus ab explicanda notione, quae *populi* appellationi hic tribuenda est.

§. 30.

Qui de *populo* loquuntur, haud raro sibi homines infimi vel certe inferioris ordinis proponunt: sed calumnia nonnullorum, Oratorem Sacrum huic tantum populo praefectum esse, uti ex mente oritur religioni Christianae iniquissima, sic, si et munus omnes gentes adeundi *Apostolis* eorumque successoribus divinitus mandatum, et regni, quod CHRISTUS occupavit, amplitudinem, et desiderium rerum Divinarum hominibus etiam superioris ordinis insitum consideramus, facile refellitur (*).

§. 31.

Itaque hac voce nec plebem significamus, nec patri-

(†) CICERO, *de Finib. bon. et mal.* Lib. II. cap. 6. QUINCTIL. l. c. Lib. II. cap. 20. Cf. AGRICOLA, *de inventione* Lib. II. cap. 15.

(*) SCHOTT, p. 403.

tricios excludimus, sed homines nobis volumus cujusvis generis, ordinis, conditionis; etiam sacrorum antistites aliosque viros Theologiae peritissimos: verbo dicam, omnes, quotquot et quatenus hoc nomine inter se conveniunt, quod CHRISTUM sectantur, et rerum Divinarum causa ad aedes sacras congregantur (†).

§. 32.

Jam *populi* notione expedita, intellectu facile est, *popularem* esse orationem sacram, quae hominibus Christianis omnis generis, ordinis et conditionis accommodata sit: quae quidem *popularitatis* definitio non prorsus ab usu recedit veterum, ubi quid in civitate Romana *populare* vocabant (*).

§. 33.

Sed nunc sedulo explorandum est, quomodo comparata esse debeat oratio, quae quibusvis hominibus accommodata dicatur: atque haec quaestio nobis tanto majoris esse videtur ponderis; quanto certius nobis persuasum habemus, illud vulgo arctius restringi, quam res ipsa patiatur.

§. 34.

Ad orationem populo accommodatam *verborum* requiri *perspicuitatem*, omnes una voce rectissime mo-

(†) MARZOLI, l. c. p. 154 sqq. SCHOTT, p. 398 sqq.
(*) CICERO, *de Orat.* L. II. cap. 38.

monent. Quidquid enim alicui accommodatum habebitur, tale esse debet, ut ab eo intelligi possit. Atqui oratio, quae verborum perspicuitate caret, ne ab eruditis quidem doctisque viris, multo minus a populo intelligitur.

§. 35.

Verissima quoque et utilissima multorum admonitio est, ut oratio populo accommodata sit, ad verborum perspicuitatem *rerum* etiam, quae tractantur, adeoque et argumenti, et formae, et partium orationis *perspicuitatem* accedere oportere. Hae enim si obscuritate laborant, aut vulgi certe captum superant, oratio, licet verba ejus admodum sint perspicua, a populo intelligi nequit (†).

§. 36.

Quotquot vero orationis popularitatem hac verborum et rerum perspicuitate circumscriptam esse opinentur, mirifice totum cum parte confundere, nemo inficiabitur, qui animadverterit, quidquid populare sit, etiam perspicuum esse, nec tamen omne perspicuum esse populare.

§. 37.

Sicuti nempe inter *perspicuitatem* et *popularitatem*, id interest, ut altera tantum ad intelligendi facultatem spectet, altera vero rationem habeat totius men-

(†) Dahl, *Lehrbuch der Homiletik* p. 311 sqq. Kist, *Leerredenen over Gods deugden.* Tom. I. Praef. p. v sqq.

mentis humanae; sic tum demum oratio popularis dici meretur, si non solum ad intelligendum perspicua, sed etiam *ad vota ac desideria populi explenda* accommodata est (†).

§. 38.

Orationem ad vota ac desideria populi explenda accommodatam esse judicamus, cui duae insint virtutes, suavitatis altera, altera gravitatis: vel, ut aliis utamur verbis, quae ita se habeat, ut ex ea populus et voluptatem (*) capere possit, et maxime utilitatem.

§. 39.

Ne vero quis forte dubitet, num oratio sacra, ut populo accommodata sit, hac utraque virtute eluce re debeat; in memoriam revocandum est, quod infra luculenter probabitur, hanc orationem non tantum haberi, ut auditores sapientiores, sed etiam ut meliores et beatiores reddantur (§).

§. 40.

Atque sic illud popularitatis tanquam fastigium, ad quod omnes Oratores Sacros tendere oportet, nobis commonstrasse videmur: sed cum hac in mediocri-

(†) Cf QUINCTIL. l. c. Lib. VIII. cap. 3. X. cap. 2.

(*) Non laudari a nobis illud placendi studium, Oratore Sacro indignum, quo multitudinis aures mulceantur, quisque sua sponte intelligit. Plura cap. III. §. 37 sqq.

(§) GROTEFEND, *Ansichten, Gedanken und Erfahrungen über die Geistliche Beredtsamkeit* p. 168 sqq. BLAIR, *Lessen over de redekunst en fraaije wetenschappen.* Tom. II. p. 232 sqq.

critate humana variae concurrant causae, cur nemini eo omnino pervenire contingat; popularitatis laus orationi, quae universa legibus modo scriptis satisfacit, neganda non est, etiamsi singula quaedam ei insint populo vel certae alicujus classis auditoribus minus accommodata (†).

§. 41.

Contra hac laude prorsus caret oratio, quae quidem singula quaedam continet, populo perspicua, accepta, utilia, sed universa tamen ita comparata est, ut non aliter fieri possit, quin aut captum auditorum, vel cunctorum, vel certae alicujus classis superet, aut fastidium iis creet, aut eorum aures ut levis narratiuncula praetervolet.

§. 42.

Quae summopere cavendum esse, videbunt omnes, si modo meminerint: et Oratorem Sacrum nequidquam pro concione dicere, nisi dicat populariter; et ipso humanitatis officio eum ad orationem popularem habendam vocari; et hanc denique popularitatem ei, non solum optimorum quorumvis, tum antiquioris, tum recentioris aetatis oratorum, sed scriptorum etiam Sacrorum adeoque JESU, quo summo dicendi duce et magistro utimur, commendari exemplo.

(†) BAYLE, *Oeuvres.* Tom. III. Part. 1. pag. 203, VAN HENGEL, l. c. p. XVIII, XIX.

CA-

CAPUT II.

De rebus Sacris et quidem Christianis ab Oratore Sacro tractandis.

---

§. 1.

Quemadmodum Oratoris Sacri officium in eo positum est, ut oratione soluta, perpetua et populari pro concione dicat; ita *res Sacras et quidem Christianas* ab eo *tractandas esse*, nunc ostendere juvabit.

§. 2.

Rerum Sacrarum titulo insignimus omnes, quae ad religionem pertinent, id est, quae ad homines, ut pietatis et virtutis studiosi sint, informandos et corroborandos inserviunt. In his autem tractandis Oratorem Sacrum versari debere, ex ipsa ejus appellatione satis luculenter apparet.

§. 3.

Atque sic Orator Sacer provinciam habet sibi propriam et peculiarem, cujus administratione a ceteris omnibus distinguitur oratoribus, quippe qui in dicendo de *rebus civilibus* versantur.

§. 4.

Neque hac tamen distinctione ab eorum provincia, quibus munus de rebus civilibus dicendi oblatum est, res

res Sacrae prorsus amoventur: immo vero certissime constat, oratores illos haud raro res Sacras vel obiter attingere, vel data opera exponere debere.

§. 5.

Ab altera quoque parte ignorat nemo, Oratores Sacros satis frequenter, salvo suo munere, de rebus dicere civilibus: ita ut vel orationi suae adspergant, quae ad eas pertinent, vel ipsum orationis argumentum ex iis petant (†).

§. 6.

Sed uti in civitate de rebus Sacris tantum dicitur *ipsius civitatis causa:* id est, ut legum auctoritate impietas vel superstitio cohibeatur vel exstinguatur, aut pax inter diversas nominis Christiani familias custodiatur, vel, si diffracta est, restituatur, verbo dicam, ut respublica salva et tranquilla sit; sic res civiles tantum tractandae sunt *religionis causa:* id est, ut homines pietatis et virtutis studio beati esse, vel incipiant, vel pergant (*).

§. 7.

Quae cum ita sint, sponte sequitur, Oratores Sacros fidem suam violare, ubi in rerum, extra provinciam suam collocatarum tractatione ita versentur, ut

(†) CANNABICH, *Anleitung zur gehörigen und dem Geiste des gegenwärtigen Zeitalters gemäszen Einrichtung Christlicher Religions-Vorträge.* p. 86 sqq. DAHL, p. 21 sqq.
(*) Cf. TITTMANN. p. 123, 124.

ut religionis causam, vel negligant, vel omnino infringant.

§. 8.

Religionis causa non solum *infringitur*, si quis huic ipsi religioni se disertis verbis opponit; sed etiam si Orator Sacer argumenta in concionem profert, quibus ejus vis et efficacitas in auditorum animis comminuuntur: quod importuna de regum et magistratuum legibus factisque censura agenda, certis in civitate factionibus fovendis, vitiis hominum leniendis aut vel defendendis fieri potest.

§. 9.

Religionis causam *negligunt*, qui cupiditati suae de se, aut alio quolibet homine, praesente seu absente, pro populi concione dicendi indulgentes, hoc saepius arripiunt longiusve trahunt, quam causa illa sanctissima jubet vel patitur (†).

§. 10.

Similiter peccant, qui in quaestionibus de *mercatura*, *agricultura*, *oeconomia rurali*, *medicina*, aliisque hujus generis agitandis tam immoderati et effusi sunt, ut ne quidem ad veram et perennem singulorum hominum salutem, ex pietatis et virtutis studio oriundam, sed ad vitae tantum socialis commoda et emolumenta dicere videantur (*).

§. 11.

(†) MAURY, Tom. I. pag. 519 sqq.
(*) AMMON, l. c. p. 38, 39. MARHEINECKE, l. c. p. 40, 41.

 SCHOTT,

§. 11.

Et, quamquam ad sensus pietatis et virtutis pectoribus inserendos et alendos utilissimum est, identidem orationes sacras haberi, quibus auditores ad *contemplandam hanc rerum universitatem* ducantur; in eandem tamen vel audaciam, vel levitatem incurrunt, qui subtilius, quam vulgi capit mediocritas, de rebus Physicis pro concione disputant; vel auditores brutae naturae pulchritudine praedicanda tantum delectant; vel laudes Dei hoc in mundo conspicuas ita celebrant, ut doctrinae Christianae aut nulla habeatur ratio, aut perexigua (†).

§. 12.

Multa igitur esse intelligimus, quorum tractatio Oratoris Sacri personae non conveniat: sed vel sic quidem nemo negaverit, provinciam ab eo administrandam latissime patere. *Omne* enim, *quod Christianum est*, ad hanc provinciam pertinet.

§. 13.

Christianum est, quidquid JESUS CHRISTUS hominibus Divinitus tradidit, ut religionem haberent, quae apud omnes ad cuncta eorum desideria explenda quovis et loco valeret et tempore.

§. 14.

SCHOTT, p. 324 sqq. Cf. et liber, cui titulus: *Iets over eenige gebreken op den Predikstoel* p. 18 sqq.

(†) JACOBI, *regelen en voorbeelden voor eerstbeginnende Geestelijken.* p. 83 sqq. SCHOTT, Tom. II. p. 98 sqq.

§. 14.

Ejusdem numeri sunt, quae eodem consilio tradiderunt *Apostoli* JESU aliique ejus sectatores a *Spiritu Sancto* collustrati: hi enim viri uti uberius exposuerunt, quae ille verbo tantum attigerat; sic ab hujus doctrinae principiis et elementis nullo modo discesserunt (†).

§. 15.

Neque hinc secludi debent quae a JESU ipsiusque sectatoribus verbis quidem expressis proposita non sunt, sed recta tamen et legitima ratiocinatione ex eorum doctrina erui possunt. Quod nemo non intelliget, qui animadverterit, tum doctores illos Divinos aequalibus suis non scholasticam, sed popularem adhibuisse institutionem; tum ejus tantum partem ad posteros perlatam esse: ut igitur plena et omnibus numeris absoluta religionis disciplina in *Novi Testamenti* libris frustra quaeratur (*).

§. 16.

Itaque quidquid convenienter menti JESU ejusque sectatorum, quos modo laudavimus, vel vates Hebraeorum afflatu Divino hominibus tradiderunt, vel Philosophi cogitando invenerunt, haud secus *Christia-*

(†) HENKII, *Museum für Religionswissenschaft in ihrem ganzen Umfange.* Tom. I. part. 3. p. 428 sqq. et CLARISSE, *Proeve over de waardij en het gezag van de leer der Apostelen.*

(*) MAREZOLL, p. 9 sqq. TITTMANN, p. 38 sqq.

stianum habendum est, atque doctrina ab iis accepta (†).

§. 17.

Sed *Christiana* appellari nequeunt, quae a JESU ipsiusque sectatoribus eo tantum consilio tradita sunt, ut certis temporibus, locis et hominibus inservirent. Haec enim ad religionem Christianam inter Judaeos et gentes antiquissimae aetatis, tam Orientales, quam Occidentales, introducendam utilia quidem adeoque necessaria fuerunt; ipsius vero religionis, quam semper et ubique sequantur omnes, partem non continent (*).

§. 18.

Jam vero trutinam, qua examinetur, quid JESUS ejusque sectatores a *Spiritu Sancto* collustrati docuerint, ut omnes homines illud semper et ubique sequerentur, *Literae Sacrae Novi Testamenti* nobis ita praebent, ut earum auctoritate omnino standum sit.

§. 19.

Qui *Traditionibus*, ita dictis, opus esse putant ad sup-

(†) Recensent haec CANNABICH, p. 8 sqq. DAHL, p 30 sqq. NIEMEYER, *Volks- en beoefenende Godgeleerdheid.* p. 63 sqq. ita tamen, ut desiderentur multa; quibus Religio Christiana ab aliis doctrinis vel religionibus, genere ipso, distinguitur. Cf. liber, cui titulus: *Onderzoek, of en in hoeverre de leeraars van Jezus Godsdienst er zelf oorzaak van zijn, dat het Christendom zoo weinig vruchten toont bij deszelfs belijders* etc. p. 52 sqq.

(*) Vide *Bijdragen tot de werken van het genootschap tot verdediging van den Christ. Godsd. voor het jaar* 1814 en *Vervolg van Bijdragen* etc. et scriptores ibi laudatos.

supplenda, quae in libris *Novi Testamenti* ad religionis Christianae perfectionem desiderentur, minus meminerunt, supplementa ibi reperiunda, cum incertae et originis et aetatis sint, dubiae quoque esse fidei: eaque magnam partem, vel expressis horum librorum verbis repugnare, vel certe non constare cum ingenio doctrinae, a JESU ipsiusque sectatoribus propositae (†).

§. 20.

Conciliorum autem *decreta*; *libri* nonnullarum familiarum, qui dicuntur, *symbolici*, *Theologorum* veterum ac recentiorum *scripta* conferre quidem possunt ad rectam Literarum Sacrarum *Novi Testamenti* interpretationem; sed ad quaestionem, quid revera *Christianum* sit, dirimendam per se nihil valent, utpote tum ab hominibus profecta errori obnoxiis et haud raro cupiditatum vi obcoecatis, tum serioribus demum temporibus in lucem edita, tum denique inter se multis de rebus pugnantia (*).

§. 21.

Ex adhuc disputatis sequitur, Oratorem Sacrum, quamquam ex variorum hominum scriptis ad libros *No-*

(†) *Bijdragen tot de beoef. en geschied. der Godgel. Wetenschappen* Tom. XI. part. 5. p. 740 sqq. BENGEL, *Archiv für die Theologie und ihre neuste Literatur.* Tom. VII. part. 3. p. 797 sqq.

(*) ROSENMULLER, *Pastoralanweisung.* p. 41 sqq. TITTMANN, p. 32 sqq. Quae copiose disputat SCHOTT, l. c. p. 37 sqq. a supra dictis minus discrepant, quam discrepare videntur.

Novi Testamenti intelligendos multum utilitatis percipere possit, a recto tamen tramite vehementer aberrare, si aliam doctrinam *Christianam* habeat, quam quae his in libris explicite vel implicite contineatur.

§. 22.

Neque pars tantum eorum, quae his in libris explicate vel implicite continentur, sed *universa doctrina Christiana* ab Oratore Sacro pro concione populi tractanda est, et ita quidem, ut ille nihil tanquam umbris involvat, vel prorsus abscondat.

§. 23.

Orator Sacer igitur non solum de iis dicere tenetur, quae doctrina Christiana cum aliis doctrinis vel religionibus communia habet; sed populo etiam impertire debet, quae hujus doctrinae propria sunt.

§. 24.

Et generatim quidem populo proponenda est doctrina *regni* illius *Divini*, fide et caritate conspicui, quod jam olim ab Hebraeorum vatibus praenunciatum, tempore suo a CHRISTO conditum, ad varias deinceps gentes prolatum, et longius perpetuo proferendum est (†).

§. 25.

Sigillatim vero auditoribus tradendae sunt omnes illae

(†) Legantur omnino SCHOTT, Tom. I. p. 269 sqq. et TIETMANN, *over den invloed van het Christendom op de ontwikkeling van het menschelijk geslacht.* p. 14 sqq.

illae doctrinae, cum regni Divini notione conjunctae, quae *positivae* appellari solent, et quarum pars vulgo ad Religionem *Theoreticam* seu *Contemplativam*, pars ad *Practicam* seu *Activam* refertur (†).

§. 26.

Perpetuo quoque pro concione repetenda est memoria rerum, quibus Providentia Divina regnum modo dictum, et hoc in terrarum orbe praeparavit, et inter homines tandem introduxit: inprimis vero earum, quae JESU obtigerunt, vel ab illo gestae sunt (*).

§. 27.

Quemadmodum nempe regnum CHRISTI per omnes aetates, et rebus nititur olim vi Divina factis, et doctrinis a Deo patefactis cernitur; sic utrarumque illarum haec est natura et indoles, ut iis, quae religio Christiana cum aliis doctrinis vel religionibus communia habet, *lucem*, *pondus*, et *efficacitatem* afferant.

§. 28.

Non solum enim doctrinas de Dei natura et Providentia, nec non de mentis humanae immortalitate, quae vulgo *religioni*, quam dicunt, *naturali* adscribuntur, illustrant ea, quae Deus in Literis Sacris ad salutem generis humani decrevisse, et per CHRI-

STUM

(†) SCHOTT, p. 374 sqq. TITTMANN, *Lehrbuch* etc. p. 26 sqq.
(*) SCHOTT, p. 280 sqq. TITTMANN, p. 44 sqq.

STUM maxime, tum his in terris versantem, tum ad summam majestatem evectum, fecisse, facere et facturus esse traditur; sed officia etiam pietatis et virtutis tanquam adspectabilia nobis fiunt, si, quod Literae illae olim Divinitus factum esse narrant, mente intuemur, et ipsum inprimis contemplamur JESUM, in cruce, ut Deo obediret et mortales ex miseria ad beatitatem perduceret, atrocia quaevis patientem et morientem: hac vero *luce* cum caret Orator Sacer, in concionem proferre negligens, quae religionis Christianae propria sunt; tum vero nihil aliud ei praesto est, quam ut pro rerum imaginibus, quae quasi in oculos incurrunt, obscuram vel minus lucidam certe substituat ratiocinationem (†).

§. 29.

Similiter, quae Religionis Christianae propria sunt aliis doctrinis *pondus* adjiciunt; quoniam, ubi illa proponuntur, ipse inducitur Deus, et voce sua confirmans, quae de ejus natura ac Providentia nec non de mentis humanae immortalitate ratio dictat humana, et auctoritate sua muniens argumenta, quibus ad officia pietatis et virtutis praestanda intrinsecus impellimur: contra et voce et auctoritate non nisi humana utitur, qui, spreta religionis Christianae Divinitate, tantum tractat, quae ei cum aliis doctrinis vel religionibus communia sunt; neque huic suppetit, quo contradicendi libidinem tanquam invi-

(†) THERRMIN, p. 72, 73.

victo coerceat freno, aut animum sibi faciat libere dicendi pro hominibus, quos se sapientiores vel meliores esse sciat (†).

§. 30.

Quantam denique *efficacitatem* quae religionis Christianae propria sunt, aliis doctrinis afferant, ex eo intelligitur, quod homini, tam certissimas praebent causas spei suae in Deo et beatitate futura collocandae, quam validissima vitae pie et honeste agendae incitamenta adhibent: ut igitur Orator Sacer, ubi subsistit in dicendo de iis, quae mentis humanae ratiocinationi debentur, multa praetermittere censendus sit, quorum vi auditores ad vitae et probitatem et tranquillitatem regantur et flectantur (*).

§ 31.

Uti autem res ipsa docet, orationi sacrae, quae vere Christiana sit, multo plus lucis, ponderis atque efficacitatis inesse, quam alii; sic recentiorum maxime temporum testatur experientia, qui tali oratione utatur, longe majora ad salutem auditorum conferre, quam qui de rebus tantum dicat, ex hominum ingenio petitis (§).

§. 32.

(†) Theremin, p. 60 sqq. Cf. Borger, *Leerredenen.* Tom. I. p. 134 sqq.

(*) Theremin, l. c.

(§) Flatt, *Magazin für Christl. Dogmatik und Moral.* Fasc. V. p. 129 sqq. Vogel, *über das Philosophische und Christliche in der Christl. Moral.* Tom. I. Part. 1. p. 21 sqq. Tittmann, *over den invloed* etc. p. 115 sqq. et alibi.

§. 32.

Ne vero quis putet, Oratorem Sacrum ea, quae religionis Christianae propria sunt, populo tantum tradere debere, ut legem sibi scriptam omnia ad utilitatem communem maxime agendi diligenter observet; animadvertendum est, muneris, quod ille sustineat, hanc esse rationem, ut, ad fidem, et Deo, et CHRISTO, et societati humanae praestandam, illud omnino requiratur (†).

§. 33.

Acriter igitur reprehendendi sunt, qui, hanc eximiam religionis Christianae partem silentio praetermittentes vel obtegentes, nihil aliud vero, quam quae religioni illi cum doctrinis vel religionibus humanis communia sunt, concioni proponentes, merum, quem vocant, *Rationalismum* inducere haud verentur.

§. 34.

Sed quemadmodum universa religio Christiana, sic *una* etiam et *sola* CHRISTI *doctrina* ab Oratore Sacro populo tradenda est: et ita quidem, ut nihil, quod ab ea alienum est, orationi suae admisceat.

§. 35.

Videlicet ab altera parte haec religio tam plena et

(†) SCHOTT, Tom. II. p. 28 sqq. TITTMANN, *Lehrbuch* etc. p. 22 sqq. Minus autem sibi constant, quae huic sententiae opposuit GROTEFEND. p. 33 sqq.

et perfecta est, ut nemini ullius rei relinquat desiderium; ab altera vero hominibus salutis a Deo promissae spem et exspectationem sub ea tantum facit conditione, ne contra mentem Auctoris tradatur aut accipiatur.

§. 36.

Et sicut Oratorem Sacrum nec Deo, nec CHRISTO, nec societati humanae fidem praestare vidimus, nisi universam religionem Christianam populo proponat; sic eum leges Divinae pariter atque humanae religionem illam puram et intaminatam, in dicendo pro concione, tam presse sequi jubent, ut ne ab ea transversum discedat unguem (†).

§. 37.

Desunt igitur officio suo quotquot argutas Theologorum disputationes de rebus, quae vel exigui ponderis sunt, vel vulgi captu superiores, tanquam religionis Christianae partem orationi suae inserentes, genuinam gratamque hujus religionis simplicitatem tollunt, ejusque vim in hominum animos comminuunt.

§. 38.

Haud secus culpam sibi contrahunt, qui, ad aures populi mulcendas, superstitiosis et religioni Christianae contrariis multorum placitis, quae quantocyus animis evellenda sunt, tantopere indulgent, ut ipsi

(†) SCHOTT, l. c. p. 23 sqq. TITTMANN, p. 31 sqq.

ipsi ea probare atque auditoribus commendare videantur.

§. 39.

Gravissime vero peccant Oratores Sacri, ubi opiniones, quibus religio Christiana prorsus pervertitur vel inutilis redditur, in medium ultro proferre sustinent: qua ignominiae nota praesertim notandos esse censemus, quotquot pro religione illa, cum sanae rationis judiciis consentiente, eum inducant *Mysticismum*, qui totus a sensus et *Phantasiae* libidine pendeat (†).

CAPUT III.

De consilio, quo dicere debet Orator Sacer, auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint.

§. 1.

Quaestione de rebus ab Oratore Sacro tractandis absoluta, nunc nobis agendum restat *de consilio, quo ille dicere debet, auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint.* Quod ut via et ratione procedat, duo exponenda sunt; quorum alterum Oratores Sacri cum aliis oratoribus commune, alterum sibi proprium habent ac peculiare.

§. 2.

(*) Grotefend, p. 40 sqq.

§. 2.

Cum aliis oratoribus Oratores Sacri commune habent, quod consilio dicere debent, auditoribus persuadendi. Sed, ut haec utrorumque convenientia luculenter probetur, res paulo altius repetenda est.

§. 3.

Triplex in soluto, perpetuo et populari sermone dicendi genus est pro triplici, quo dicentes feruntur, consilio. Alii in concionem prodeunt ad docendum, alii ad delectandum, alii ad persuadendum. Hinc tria haec enata sunt: *disputatio*, *declamatio*, *oratio*.

§. 4.

Disputatio sic institui potest, ut ratio etiam habeatur *pulchri* et *boni;* sed regnat tamen illa et habitat in auditoribus *verum* docendis. Unde sequitur, disputantem hoc unum sibi propositum habere, ut hominum *intellectui*, quem vocant, *veri cognitionem afferat.*

§. 5.

In *declamatione* saepe quidem non negliguntur *verum* et *bonum*, sed caput ejus tamen cernitur in auditoribus *pulchro* delectandis. Declamantes igitur id sibi volunt, ut hominum *Phantasiam*, quae dicitur, *suaviter afficiant.*

§. 6.

Orationis provincia amplissima est. Auditores enim ab oratore non solum *verum docendi* sunt, et

ita

ita quidem, ut *pulchro delectentur;* sed, uti hoc ipsius *boni causa* fieri debet, sic ad nihil aliud ab oratore tendendum est, quam ut concioni *ad bonum illud sectandum persuadeat* (†).

§. 7.

Atque hoc unum oratoris esse debere consilium, minus quidem reapse negant, quam prima fronte negare videntur, qui tria ei officia *docendi*, *delectandi* et *persuadendi* imponunt: sed, ne cui forte dubitandi vel contradicendi causa relinquatur, data opera demonstrare juvabit, nullum aliud consilium oratori tribuendum esse.

§. 8.

Nimirum Graeci illi jam antiquissimi, quos primos fuisse accepimus, qui nomen oratoris gererent, cum ad dicendum procedebant, hoc unum sibi voluere, ut vel magistratus, vel judices, vel populum (*) ad illud, quod sibi bonum esse videbatur, agendum fle-

(†) De *disputatione* et *oratione* a se mutuo distinguendis nobiscum maxime consentit GROTEFEND, p. 171 sqq. De *declamatione* legatur in primis THORBECKE, *Commentatio* de C. ASINII POLLIONIS *vita et studiis doctrinae* p. 88 sqq.

(*) Ab hac divisione, quod obiter notandum est, prima fronte discedere videtur CICERO, *de Orat.* Lib. I. cap. 9 et 11, quorum in altero loco *forum*, *concionem: judicia*, *senatum* memorat; in altero *jus*, *judicium*, *populum*, *senatum:* sed appellationibus *fori* et *juris* significat *tribunal Praetoris.* Cf. HARLESS ad cap. 58. Unde sequitur, eum *judiciale* orationum genus, diversitatis locorum, ubi dicendum erat, ratione habita, bipartitam fecisse.

flecterent: quod per omnia tempora omnes oratores veri nominis secuti sunt.

§. 9.

Novimus quidem ab antiquo multis *disputationibus* et *declamationibus* auctores aliosque homines *orationum* titulum indidisse: sed auctores, ut sibi laudis, quam oratores nacti essent et nanciscerentur, partem aliquam vindicarent, titulum illum honorificum temere ad suas transtulerunt scriptiones; alii vero homines, horum virorum cupiditati inservientes, vel ipsius rei naturam minus intelligentes, orationis appellationi ampliorem, quam par erat, notionem dederunt (†).

§. 10.

Neque tamen hinc originem cepit mos orationes in tria genera dividendi, *deliberativum*, *judiciale*, *demonstrativum*: quippe qui haud paucis quidem ansam praebuit, ut orationem etiam esse putarent scriptionem, quae mera alicujus hominis aut rei laudatione vel vituperatione absolveretur; sed ipsa perversam hanc opinionem sua auctoritate non confirmat (*).

§. 11.

(†) GIBBON, *History of the decline and fall of the Roman Empire.* Tom II. cap. 13. BECK, *Anleitung zur Kenntnisz der allgemeinen Welt- und Völkergeschichte.* Tom. II. p. 464 sqq. et scriptores ab iis laudati: nec non JULIANI opp. p. 1, 2 ibique SPANHEM.

(*) HERMOGENES, *de formis orationis.* Lib. II. cap. 10.

§. 11.

Demonstrativum enim dicendi genus, uti in se habet, quo auditores ad agendum excitari possint; ita veteres illud, sive pro populo dicebant, seu apud principem (†), saepe usitarunt, ut homines commoverent ad petendum vel fugiendum, quod in oratione laudaretur vel vituperaretur: quare et recentiore memoria viri docti monuerunt, tam in hoc genere, quam in deliberativo et judiciali reperiri, quocum oratio sacra conveniat (*).

§. 12.

At vero, quemadmodum fatendum est, consilium persuadendi cum ipso illo dicendi genere tam arcte non conjunctum esse, ut desiderio alterius relicto alterum tollatur; sic nonnulli, cum et hoc intelligerent, et merae disputationi vel declamationi haud raro orationis demonstrativae nomen tribui viderent, genus illud rejecerunt, vel minoris habuerunt (§).

§. 13.

Ipsa autem orationum divisio in tria genera, quod bene notandum est, ARISTOTELI debetur, principi illi Rhetoricorum, qui id unum ab oratore agendum esse sta-

(†) Dial. *de caussis corr. eloq.* cap. 5.

(*) SCHOTT, Tom. I. p. 143 sqq. THEREMIN, p. 37 sqq.

(§) ANTONIUS apud CICER. *de orat.* Lib. II. cap. 10, 11. Cf. MELANCHTHON, *de officiis concionatoris* opp. Tom. II. p. 30, ed. Viteb. 1562.

statuit, ut ad persuasionem accommodate diceret (†). Atque ita clarissimi scriptores Graeci, qui de oratoris officio mentem explicuerunt (*).

§. 14.

Cum Graecis et alii consentiunt scriptores Latini (§), et CICERO, qui ubivis ejusdem sententiae esse deprehendetur; dummodo a se invicem caute distinxerimus, quae Philosophus tum *de consilio*, quo orator dicere debet (‡), tum *de modo* scripsit, qui ab eo adhibendus est, *ut consilium illud exsequatur* (††).

§. 15.

QUINCTILIANUS quidem, quoniam et animadverterat, oratores non semper tam felices esse, ut auditoribus persuaderent; et metuebat, ne orator cum meretricibus, adulatoribus et corruptoribus confunderetur; sententiam eorum, qui eloquentiam persuadendi facultatem appellabant, improbavit:. sed plus uno tamen ex loco luculenter apparet, hunc ipsum Rhetorem voluisse, ut orator persuadendi consilio diceret (**).

§. 16.

(†) *Rhetor.* Lib. I. cap. 1, 2.

(*) *Gorg.* apud PLAT. Tom. I. p. 452. *Socrat.* ibid. p. 504. et in *Phaedro.* Tom. III. p. 261 et 272. DEMOSTH. apud PLUTARCH. *Moral.* p. 801 XYL.

(§) QUINCTIL. Lib. II. cap. 16.

(‡) *De invent. Rhet.* Lib. I. cap. 5. *De orat.* Lib. I. cap. 31, 61. Lib. II. cap. 27. in *Bruto.* cap. 15.

(††) *De orat.* Lib. I. cap. 13, 15. Cf. *Orator ad Marc. Brut.* cap. 29.

(**) Lib. II. cap. 15, 17. Cf. Lib. X. cap. 1, ubi DEMOSTHE-

 NIS

§. 16.

Atque veteres generatim hujus sententiae fuisse, tum ex eo intelligimus, quod DEMOSTHENEM et CICERONEM propter illa, quae dicendo effecerant, ceteris omnibus oratoribus anteponebant; tum ex communi fere eorum judicio, eloquentiam nusquam vigere posse, nisi in civitate libera (†). Eidem autem sententiae recentiores homines, quotquot veram *persuadendi* notionem assecuti erant, calculum suum adjecerunt (*).

§. 17.

Persuadendi nempe appellatione, quae ambigua est, non qualemcunque modum auditores ad nostram voluntatem flectendi significamus; sed ea utrumque comprehendimus, quod in sermone vernaculo verbis *overtuigen* et *overreden* denotari solet: ita ut orator a nobis *persuadere* dicatur, cum auditores flectit ad agendum illud, quod iis bonum esse probavit.

§. 18.

NIS probat sententiam, non athletarum toros, sed militum lacertos ab oratore adhibendos esse, et J. L. VIVES, *de ratione dicendi* Lib. II. p. m. 161.

(†) Vide quos excitavimus in hujus libri *Introitu.* §. 8.

(*) BLAIR, l. c. p. 67 sqq. FENELON, *gesprekken over de welsprekendheid in het algemeen en over die van den kansel in het bijzonder.* p. 53 sqq. ibique SCHRANT, p. 26 sqq. SCHOTT, l. c. p. 113 sqq. aliique. Ceterum notandum est, hic non laudari *eloquentiam universam*, sed *oratoriam*, quam utramque bene distinxit VAN DER PALM, *Redevoeringen en Verhandelingen.* Tom. I. p. 49, 50, 71, 73 sqq.

§. 18.

Dolendum quidem est fuisse olim, qui et *bonum* ita acciperent, ut *honestum* cum *utili* confunderetur, atque ideo *persuadendi* quoque notionem perverterent (†); sed sicuti apud optimos quoslibet eorum veri igniculos haud raro reluxisse constat (*), sic multi veteres in vero illo sequendo sibi constiterunt (§): recentiore vero memoria nemo paulo intelligentior et humanior *persuadendi* verbo usus est, quin et illud recte interpretaretur, et oratori legem scriberet *honesti* perpetuo observandi (‡).

§. 19.

Sed errant sine dubio, qui sententiam, oratorem persuadendi consilio dicere debere, veterum tantum ac recentiorum virorum *auctoritate* niti opinantur.

Hoc

(†) Vide inprimis CICER. *de orat.* Lib. I. cap. 10. Lib. II. cap. 7, 42. *De partit. orat.* cap. 27. *Orator ad Marc. Brut.* cap. 38. Cff. SCHROEDER, *de redekunstige voorschriften van Cicero getoetst aan die der zedewet, en bijzonder aan het gebod der waarheidsliefde*, et THEREMIN, p. 103 sqq.

(*) CICERO, *de orat.* Lib. II. cap. 46, 47. Lib. III. cap. 14. Cf. VAN HALL, *Bedenkingen over de vraag: Heeft* CICERO, *in zijne redekunstige voorschriften, al dan niet, gezondigd tegen de beginselen der zedekunde.*

(§) QUINCTIL. Lib. XII. cap. 1. inprimis PLATO in *Gorg.* Tom. I. p. 504, 522, 527: ubi SOCRATES non solum *Rhetoricam Sophistarum adulatoriam* vocat, sed expressis dicit verbis, *Rhetoricam duntaxat pro justitia utendum esse.*

(‡) Cf. praeter scriptores, §. 16. excitatos, nec non MURETUM, *Oratt.* Lib. I. Or. 3. p. 29, 30 RUHNK. THEREMIN, p. 90 sqq. 117 sqq. quocum tamen eloquentiam minus *virtutem* dixerim, quam *virtutis ducem.*

Hoc enim consilium oratori, ne frustra in concionem procedat, deesse non posse, *res ipsa* loquitur: quoniam a bono, de quo dicendum est, homines vulgo avertuntur, tum opinionibus praejudicatis, tum cupiditatibus pravis, quarum illae in intellectu, hae in voluntate resident; dum utraeque ad *Phantasiam* corrumpendam conspirant.

§. 20.

Et quemadmodum omnis orator veri nominis, non ad delectandos, nec solum ad docendos auditores, sed maxime ad persuadendum iis, ut id, quod bonum est, sequantur, mente sua tantopere impellitur, ut impulsioni resistere nequeat; ita hoc persuadendi consilium praecipue sibi vindicare propriumque habere debet, quo a ceteris omnibus, qui soluta, perpetua et populari dicunt oratione, omnino distinguatur.

§. 21.

Jam vero nunc oritur quaestio, *num Orator Sacer consilium illud persuadendi cum aliis oratoribus commune habere debeat:* quod tam *argumentis*, quae modo attulimus, ad Oratoris Sacri provinciam accommodandis, *probabitur*, quam gravissimae *auctoritatis* momento et pondere *confirmabitur.*

§. 22.

Et primum, quamvis concionem sacram omnino, et ita quidem, ut oratio ei placeat, docendam esse, in-

infra ostendetur, luculenter tamen eam ad auditoribus persuadendum, ut id, quod bonum est, sequantur, *institutam* esse apparet, quod persuasio illa et omnibus hominibus huc convocatis, tam doctis, quam indoctis, apta et accommodata est; et in res omnes hic proponendas, etiamsi nulla ex iis capi possit delectatio, egregie quadrat (†).

§. 23.

Deinde, cum haec boni illius, quod concioni sacrae proponitur, natura et indoles sit, ut se illi haud secus, immo multo acrius, quam aliis rebus bonis, opponere soleant hominum tum opiniones praejudicatae, tum cupiditates pravae (*); quisque intelligit, a nemine magis, quam ab Oratore Sacro postulari, ut persuadendi consilio dicat.

§. 24.

Denique Orator Sacer, quanto muneris sui rite explendi studiosior est, tanto graviore non solum impellitur stimulo, ut de eo, quod bonum est, ad persuasionem apposite dicat; sed hoc etiam persuadendi consilio, tanquam nota, tum a *Catecheta* maxime differt, tum ab iis hominibus distinguendus est, qui extra aedes sacras de rebus ad religionem pertinentibus disputare vel declamare solent.

§. 25.

(†) Schott, l. c. p. 345 sqq.
(*) Chrysost., *de Sacerd.* Lib. IV, cap. 4.

§. 25.

Horum argumentorum vim gravissimae *auctoritatis* momento et pondere augeri videmus, si attendimus ad Literas Sacras: ubi societas regni Divini, a CHRISTO conditi, non expetenda dicitur, quod homines in eo verum doceantur, multo minus quod delectantur pulchro, sed quod ad bonum illud perducuntur, unde vita oritur beatissima (†).

§. 26.

Ipse autem JESUS ejusque Apostoli nihil majore animi intentione egerunt, quam ut homines ad bonum illud sibi quaerendum persuasione flecterent: atque hoc suum exemplum omni Oratori Sacro ad imitationem maximopere commendarunt (*).

§. 27.

Cui mandato Divino religiose obtemperare conati sunt eloquentissimi CHRISTI sectatores; quotquot Oratoris Sacri munere fungebantur: uti et, neminem alium, quam qui persuadendi consilio diceret, officio suo satisfacere, recentiore memoria a viris doctis tam ab omni parte probatum est, ut in contrariam sententiam ne probabiliter quidem disputari posse videatur (§).

§. 28.

(†) *Matth.* VII: 21 sqq. *Rom.* XIV: 16 sqq. 1 *Cor.* XIII: 1 sqq. *Tit.* II: 11 sqq.

(*) *Luc.* XIV: 21, 23. XIX: 41 sqq. *Act.* XIII: 43. XIX: 8, 26. 1 *Cor.* IX: 19 sqq. 2 *Cor.* V: 11. *Tit.* III: 8.

(§) Vide praesertim MAURY, Tom. I. p. 72 sqq. MARREZOLL. p. 65 sqq. SCHOTT, l. c. p. 330 sqq.

§. 28.

Jam si homines, qui pro concione sacra dicunt, cum oratoribus quibuslibet hoc habent commune, ut se ab omnibus, qui oratione soluta, perpetua et populari utuntur, consilio persuadendi sibi proprio distinguant; eos sine dubio *oratorum*, quam *doctorum* titulo nuncupare praestat: quem igitur titulum haud pauci iis rectissime tribuerunt (†); alii vero iis negarunt, sive quod appellationem illam minus intelligebant, seu quod orationem cum disputatione, vel declamatione confundebant (*).

§. 29.

Sed quamvis, qui pro concione sacra dicunt, oratores sunt, oratoribus aliis hoc nomine, quod persuadendi dicunt consilio, pares et aequales; est tamen iis, *quod sibi proprium habeant ac peculiare*: cum enim *Oratores* sint *Sacri*, dicere debent *consilio auditoribus persuadendi, ut homines sint vere Christiani.*

§. 30.

(†) Non solum plerique scriptores recentissimi, sed VAN DER WAEYEN, *Methodus Concionandi.* pag. 1. MORHOF. l. c. p. 984. HOLLEBEEK, *Diss. Theol. de optimo concionum genere*, p. 10 et alibi. Jam AUGUST. Oratores Sacros cum civilibus comparavit *de Doctr. Christ.* Lib. IV. cap. 17 sqq.

(*) Uti HYPERIUS, l. c. p. 112 aliique. Cff. MARBZOLL, p. 48 sqq. et CLARISSII annot. ad EWALDI librum: *Over de uiterlijke kanselwelsprekendheid.* p. 50, 51.

§. 30.

Quemadmodum nempe, ut capite superiore ostendimus, et universa et una CHRISTI doctrina, cujus cardo in regni Divini, fide et caritate conspicui, notione cernitur, ab Oratore Sacro tractanda est; sic consilio dicere tenetur auditoribus persuadendi, ut, hanc doctrinam tanquam vitae suae normam et regulam habentes, et sentiendo, et loquendo, et agendo se regni illius cives praestare incipiant vel pergant.

§. 31.

Illud Oratoris officium Literae Sacrae verbo denotant *aedificandi* (†), quod, imagine ab aedificiis struendis vel instaurandis petita, ad verbum *persuadendi*, quo adhuc usi sumus, illustrandum egregie inservit (*): sed ut bene et accurate, quid illud sibi velit, intelligamus, de *docendi*, *delectandi* et *inflammandi* negotiis deinceps agendum est (§).

§. 32.

(†) *Rom.* XIV: 19. 1 *Cor.* III: 9 sqq. *Eph.* IV: 11 sqq. 1 *Pet.* II: 5 alibi.

(*) Verbum *aedificandi*, quod offensioni est THYMIO, l. c. p. 92, 93, jam probarunt MOSHEIM, l. c. p. 111 sqq. KONYNENBURG, *Lessen over het leeraarsambt in de Christlijke Kerk.* p. 125. OELRICHS, *Primae Lineae instit. Homilet.* p. 6. Cff. quos excitat WAGNITZ, l. c. p. 21. Sed omnium instar legatur SCHOTT, p. 338 sqq.

(§) Haec tria nempe Oratori etiam Sacro more veterum imposuerunt et multi eorum, quos jam supra excitavimus, et ERASMUS, *De ratione concionandi.* Lib. II. p. 859 sqq. opp. Tom. V, ed. 1704. ROLLIN, *De la maniere d'enseigner et d'etudier les belles lettres.* Tom. II. p. 326 sqq. aliique.

§. 32.

Docendi negotium duabus constat partibus: rerum nempe, quae ad auditoribus, ut homines vere Christiani sint, persuadendum conducunt, et *explicatione*, et *demonstratione*.

§. 33.

Explicatio hic dicitur, si Orator Sacer concioni tradit, quae accommodata sunt ad falsas vel obscuras rerum Christianarum notiones ex auditorum animis expellendas, veras et perspicuas iis afferendas. Necessaria autem est tum propter miseram, qua hominum vulgus laborat, ipsius religionis imperitiam; tum propter opinionum humanarum diversitatem, quae ex ingeniorum, locorum, temporum, originis, educationis diversitate oritur; tum denique propter imbecillitatem memoriae, de qua nihil citius excidere solet, quam institutio de rebus, quae, ut a sensibus corporis remotae sunt, ita ab hujus vitae negotiis alienae.

§. 34.

Iisdem de causis necessaria est *demonstratio*, qua utitur Orator Sacer, si res illas Christianas, quas auditoribus explicuit, ab omni homine, ut se et sentiendo, et loquendo, et agendo regni Divini praestet civem, tanquam vitae suae normam et regulam habendas esse, argumentorum vi et pondere probare conatur, et ita quidem, ut simul contradictiones refellantur.

dicantur, ita esse dicenda, ut iis placeat oratio, licet sibi ipsi inter illam audiendam displiceant (†).

§. 40.

Nimirum nulli orationi sacrae, quae non placeat auditoribus, persuadendi vim inesse, tum ex eo sequitur, quod aures animique ab illa avertuntur, tum omnium temporum docet experientia: quare et ipsae Literae Sacrae orationum fructum ab eo pendere testantur, quod auditoribus placeant (*).

§. 41.

Diutius nos occupabit tertium illud, cujus supra mentionem fecimus: *negotium* nempe *inflammandi*, quod cernitur in *commovendis* animorum *affectionibus*, quae *ex sensu honesti*, *ex studio pulchri*, *ex desiderio ejus*, *quod utile est*, enascuntur (§).

§. 42.

Affectiones, quae *ex honesti sensu* enascuntur, commovet Orator Sacer, si pietatis et virtutis igniculos, auditorum pectoribus divinitus inditos, ita excitat, ut, quae honestas in amore vel in odio haberi jubet, reapse propter se, seu, quod hic eodem redit,

(†) Haud omnino male igitur nonnulli, ut jam AGRICOLA p. 204, 205, et MELANCHTHON, l. c. docendi et monendi vel commovendi tantum negotia commemorarunt.

(*) *Marc.* VI : 20. *Act.* VI : 5. 1 *Cor.* X : 33.

(§) Haud multo aliter jam Graeci περὶ τοῦ δικαίου, καὶ τοῦ καλοῦ, καὶ τοῦ συμφέροντος locuti sunt. Vide HERMOGENIS *Partitiones.* p. 2.

dit, Dei CHRISTIque causa, in amore vel in odio habeant: atque item grato animo, misericordia, poenitentia aliisque mentis agitationibus, horum alterutri cognatis, impleantur.

§. 43.

Similiter *affectiones, ex pulchri studio* enascentes, ab Oratore Sacro commoventur, si studium illud in auditorum animis tam efficax reddit, ut veneratione, admiratione, aemulatione ejus, quod pulchri nomine dignum est, atque vituperatione, despectione et aversatione contrarii incendantur.

§. 44.

Jam vero Oratorem Sacrum, auditorum animos hoc utroque modo inflammantem, nemo facile reprehenderit; siquidem his in affectionibus commovendis nullam utilitatis habet rationem: at cum tamen praeclarius sit, hominem vere Christianum esse, qui ad illud propter se, vel obedientia legis Divinae, quam alia de causa commoveatur; quisque intelligit, affectiones quoque, quae ex *honesti sensu* enascantur, et *religiosae* vel *morales* sint, praeclariores esse, quam quae *pulchri* debeantur *studio*, atque *Aestheticae* appellari possint (†).

§. 45.

(†) REINHARD, *System der Christl. Moral*, Tom. I. p. 172 sqq. ed. 5.

§. 45.

Sed multum litis et controversiae peperit quaestio, num ab Oratore Sacro ad auditoribus persuadendum commovendae sint affectiones animi, quae *ex desiderio ejus, quod utile est*, enascuntur, et vulgo *ab utili petitae* dicuntur: atque hac de re ut bene et prudenter judicetur, magna cautione opus est.

§. 46.

Duae maxime sunt affectiones animi, quae ex desiderio ejus, quod utile est, enascantur, *spes* et *metus*. Utilia sperantur triplicis generis: res prosperae, voluptates animi, vitae futurae beatitas; contraria metuuntur. Haec tria autem genera, quamvis eorum spem aut metum pariter facit *Philautia*, vel amor sui, omni homini ingenitus, valde tamen differunt pretio, quod cuique eorum statuendum sit.

§. 47.

Ceteris antecellunt spes et metus, quae *ex desiderio* oriuntur *beatitatis vitae futurae:* nam qui hoc desiderio commovetur, ut homo vere Christianus sit, mentem jam habet ex angustis hujus vitae cancellis ad infinitum illud erectam, ubi nihil expetitur, quod non vere et ab omni parte sit honestum.

§. 48.

Huic affectionum generi proxime succedunt spes et metus, quae *ex desiderio* existunt *voluptatum animi:* qui enim, harum voluptatum sibi comparandarum

rum studio commotus, homo vere Christianus esse, vel incipit, vel pergit, his quidem in terris beatus fieri vult; sed, quemadmodum bona sibi cupit, quae cum honesto arctissime conjuncta sunt; ita tristi illa rerum externarum jam liberatur cupiditate, qua vulgus ignobile se a regni Divini societate abstrahi patitur.

§. 49.

Infimo in loco positae sunt affectiones spei et metus, quas *desiderium* gignit *rerum prosperarum*, id est opum, honorum, voluptatum corporis: nam non solum saepe fit, ut hominibus vere Christianis haec bona non obtingant; sed etiam, qui nullo alio quam eorum fertur desiderio, par et aequalis est vulgo illi supra notato, neque igitur, ut homo vere Christianus sit, ab Oratore Sacro commoveri potest.

§. 50.

Verumtamen, sicut pueris nunc bellaria, nunc flagra ostentanda sunt, antequam majorum, aut praemiorum spe, aut poenarum metu capiantur; sic Oratorem Sacrum his infimi ordinis incitamentis uti debere putamus, ut multitudinem humi serpentem affectionibus impleat, quibus cupiditates rerum, quae homine Christiano indignae sunt, paulatim coërceantur, animique ad bona meliora sibi cupienda perducantur.

§. 51.

Et cum illi etiam, qui haud exiguos in pietate ac vir-

virtute progressus fecerunt, res prosperas et adversas, salvis legibus naturae humanae positis, eodem loco ac numero habere nequeant; Orator Sacer optimos haud raro homines, ubi animis eorum affectiones ex desiderio hujus boni oriundas injicit, ad constantiam et perseverantiam commovebit.

§. 52.

Mirandum igitur non est, Hebraeorum vates populum brutum et rebus externis alligatum, cujus erudiendi munus sibi mandatum esset, multo frequentius his incitamentis adiisse quam JESUM et *Apostolos;* et ne hos ipsos, quamvis vulgo auditoribus et lectoribus suis, tum voluptates et dolores animi, tum vitae futurae praemia et poenas proponerent (†), de rerum tamen prosperarum spe atque adversarum metu omnino siluisse (*).

§. 53.

Cum autem nemo probaverit, omnia, quae a JESU et *Apostolis* facta sint, a nobis quoque fieri debere, per se quidem ad nos nihil attinet affectionum, tum *ex honesti sensu pulchrique studio*, tum quoque, *ex desiderio ejus, quod utile est*, oriundarum commotio iis usitata; sed si consideramus, omnes omnium aetatum homines acrius ac celerius ferri ad expe-

(†) Locorum copiam congessit DAHL, p. 203 sqq.
(*) *Matth.* V: 25. VII: 6. *Marc.* X: 29, 30. *Rom.* XII: 20. XIII: 3. *Eph.* VI: 2, 3.

petenda honesta, quae simul utilia esse videantur, quam quorum utilitas non appareat, tantae sine dubio auctoritatis est, ut et nobis agendi tanquam norma et regula sit.

§. 54.

Quae enim recentiore memoria KANTIUS (†), vestigia premens *Stoicorum* Veterum (*), rectissime disputavit ad probandum, quod ab omni parte honestum sit, propter se fieri debere, hanc vim habere nequeunt, ut Orator Sacer impediatur, quominus affectiones, ex desiderio ejus, quod utile est, oriundas, quo homines ad honestum illud excitentur, eorum in animis commoveat.

§. 55.

Et sane! Oratores Sacri, si has animi affectiones, ab utili petitas, excitare vetantur, auditoribus suis, ut homines vere Christiani sint, vix aut ne vix quidem persuadere possunt: quoniam nemo mortalium mente gaudet, quae in coelos tam erecta sit, ut in unum illud, quod honestum est, omni detracta utilitate, intueatur.

§. 56.

Praeterea animadvertendum est, quae veteres monuerint, ne honestum utilitatis causa quaereretur et per-

(†) *Kritik der praktischen Vernunft.* p. 102 sqq.
(*) CICER. *de finib. bon. et mal.* Lib. II. cap. 14. Lib. III. cap. 3, 11.

peragеretur, nullo modo spectare ad praestantissimum illud incitamentorum genus, quod a JESU et *Apostolis* ex vitae futurae rebus petere edocti simus: recentiores vero Philosophos horum incitamentorum usum lenius reprehensuros fuisse, si semper meminissent (quod jam supra diximus), homines, qui affectionibus ex desiderio beatitatis, post mortem sperandae, enatis, ad honestum inflammentur, vero jam et sincero ipsius honesti amore duci solere.

§. 57.

Sed jure meritoque reprehenduntur, quotquot incitamenta ab utili petita tam imprudenter ad affectiones animorum commovendas adhibent, ut homines Christiani more veterum *honestum cum utili confundere* doceantur. Qua confusione primum oritur metus, ne quis bona praesentia et in sensus corporis cadentia futuris et mente accipiendis praeferat, easque tantum officii sui partes exsequatur, unde sibi emolumentum speret; deinde optimis splendidissimisque facinoribus pretium suum detrahitur; denique naturae humanae praestantia ad conditionem humilem et abjectam detruditur pecoris, quod coeco tantum impetu id agit, ut sensuum jucunditatibus potiatur et fruatur.

§. 58.

Itaque sedulo ac religiose Orator Sacer, quandocumque in commovendis animorum affectionibus ex desiderio ejus, quod utile est, petitis versatur, con-

concionem admonere debet, semper et ubique observandam esse voluntatem Dei, legibus, quibus obligemur, nobis manifestatam: ad harum legum praescripta omnem vitae rationem instituendam esse: cavenda esse, quae iis vetentur, expetenda, quae jubeantur; etiamsi praevidere nequeamus fore, ut hac via ingredienda vel persequenda utilitatem nobis comparemus: atque hunc unum, qui ita se gerat, verum et sincerum regni Divini esse civem, a Deo probatum, et si minus in hac, in altera certe vita, bonis egregiis condecorandum.

§. 59.

Uti vero Orator Sacer culpari non meretur, si, hac adhibita cautione, auditores incitamentis ab utili petitis excitat, ut homines sint vere Christiani; sic generatim *animorum inflammatio*, a nobis descripta, ad *aedificationem* vel *persuasionem* eorum quam maxime necessaria est.

§. 60.

Videlicet cum menti humanae talis insit ac tanta perversitas, ut ad illud, quod omnes in hominis vere Christiani officio esse sciunt, torpeat frigeatque; et cum hujus perversitatis radices apud neminem usquam plane evellantur; res ipsa loquitur, animorum affectiones ab Oratore Sacro commovendas esse, ut ad officium sibi cognitum explendum incendantur.

§. 61.

§. 61.

Deinde mentis humanae corruptela, se in vita communi longe lateque prodens, vi sua privari nequit, nisi illecebris ejus, in sensus corporis agentibus, vis contraria resistat: atque haec altera causa est, cur ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani sint, animorum affectiones commoveri debeant.

§. 62.

Porro experientia testari videtur, Oratores Sacros, quo magis animorum affectiones commoveant ad sequenda, quae auditoribus in hominis vere Christiani officio esse probaverint, eo locupletiores et uberiores esse in civibus, pietatis et virtutis ardore plenis, regno Divino afferendis.

§. 63.

Ipse quoque JESUS ejusque *Apostoli* ad hanc persuasionem animorum inflammatione opus esse, sectatatores suos suo docuerunt exemplo (†): atque horum vestigiis institerunt Oratores Sacri, quotquot facultate concionis ad honestum flectendae prae ceteris polluisse traduntur (*).

§. 64.

(†) *Matth.* XXIII. *Luc.* XXIV: 32. *Joann.* VIII: 38 sqq. *Act.* II: 37 sqq. XXVI: 24 sqq. Cf. THEREMIN, p. 112 sqq.

(*) Exempla locorum, ubi *Patres Ecclesiastici* affectiones animorum commovere studuerunt, affatim nobis praebent ROLLIN, l. c. p. 352 sqq. et SCHRANT, p. 164 sqq.

§. 64.

Denique omnium temporum judicio, ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani sint; animos eorum affectionum commotione inflammandos esse, multa nituntur, quae in concione sacra fieri solent, ut precatio, cantatio, rituum celebratio, tota oratoris actio: quarum rerum aliae ad auditores docendos minus, aliae neutiquam inserviunt, sed nulla supervacanea est ad pectora eorum inflammanda.

§. 65.

Rationem igitur sic concludimus, Oratorem Sacrum pro concione dicere debere consilio auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint: hoc autem ut efficiat, concionem ab illo non solum ita esse docendam, ut ei placeat oratio, sed etiam inflammandam esse: atque istam animorum inflammationem tam insignem provinciae Oratoribus Sacris demandatae esse partem, ut nemo eorum hoc officio solvi aut liberari possit (†).

§. 66.

Unum restat, quod, ne quis nobis objiciat, vereamur: hanc nempe animorum inflammationem efficacitati *Spiritus Sancti* tribuendam esse, oratori vero

(†) De auditorum animis affectionum commotione inflammandis legantur praeter alios GISBERT, l. c. p. 15 sqq. TITTMANN, l. c. p. 186 sqq. DAHL, l. c. p. 204 sqq. THEREMIN, p. 101 sqq. SCHOTT, l. c. p. 400 sqq. Quos revera rarius deseruimus, quam fortasse deseruisse videbimur.

ro non deberi humano: sed, quamquam lubenter fatemur, nequidquam oratorem pro concione dicere, nisi *Spiritus Sanctus* auditoribus suam efficacitatem praestet; persuasissimum tamen nobis est, hunc ipsum *Spiritum* oratore uti, quo sibi ministrante hominum animos excitet et inflammet (†).

(*) Schrant, l. c. p. 109 sqq.

PARS

PARS ALTERA.

OSTENDITUR,

QUOMODO ORATOR SACER PROVINCIAM SIBI DEMANDATAM ADMINISTRARE DEBEAT.

Quaestione, qualis Oratoris Sacri provincia sit, absoluta, nunc sequitur altera: *quomodo*, nempe, *ille provinciam sibi demandatam administrare debeat.* Hanc autem ita tractabimus, ut deinceps de orationis sacrae *materia*, *forma*, *partibus*, *dictione*, *recitatione* agamus.

CAPUT I.

De Orationis Sacrae materia.

§. 1.

Cum Orator Sacer, ut supra vidimus, consilio auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint, pro concione dicere teneatur; nihil magis ei, ad hanc provinciam bene administrandam, necessarium est, quam, quotiescunque ad dicendum vocatur, *orationi suae materiam invenire*, qua maxime consilium illud perficere possit.

§. 2.

Inventione veteres sibi voluerunt *excogitationem rerum verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant* (†). Atque eadem hujus vocabuli notio adhuc retinenda est, ubi oratores horum temporum haud secus quam veteres dicendi causam non sibi sumunt, sed aliunde accipiunt. Quod Oratori Sacro fit, si ei et Literarum Sacrarum, quem tractet, locus (*Textus*), et ipsius orationis argumentum (*Thema*) praescribitur.

§. 3.

At cum tamen Oratori Sacro, et ipsius orationis argumentum rarissime praescribatur, et loci quoque Literarum Sacrarum, quemcunque velit, tractandi libertas saepissime relinquatur; *inventionis* appellatio, uti hac in disciplina ampliorem habet notionem, ita nobis dicere videtur *excogitationem materiae, ad auditoribus, ut homines vere Christiani sint, persuadendum accommodatae* (*).

§. 4.

Jam vero orationis Sacrae materia ad hanc auditorum persuasionem accommodata esse nequit, nisi et *tempori*, in quo Orator Sacer versatur, et *concioni*, pro quo ille dicit, et *huic ipsi dicenti* omnino con-

(†) *Auct. Rhetor. ad Herennium* Lib. I. cap. 2. CICERO, *de Invent. Rhet.* Lib. I. cap. 7.

(*) Vide VOSSIUM, *Institut. Orat.* Lib. I. cap. 2. et cf. SCHOTT, Tom. II. p. 1 sqq.

conveniat (†): quae tria igitur diligenter consideranda sunt.

§. 5.

Orationis Sacrae materia *tempori*, in quo Orator Sacer versatur, *convenit*, si et generatim *ad ingenium ejus aetati proprium*, et sigillatim *ad diei*, *quo pro concione dicit*, *rationem accommodata* est.

§. 6.

Ingenium aetati Oratoris Sacri *proprium* cernitur in sentiendi, et agendi ratione, quam vulgo aequales ejus sequuntur, et ita quidem, ut se hac tanquam nota ab hominibus superiorum temporum distinguant: atque singulis sane aetatibus, quamquam placita et instituta hominum nunc celerius, nunc tardius mutantur, hujusmodi tribuendum est ingenium.

§. 7.

Multa sunt, quibus haec nostra aetas se a praecedente aliisque superioribus distinguat: certamen nempe libertatis et tyrannidis in civitatibus; renovatio litium et controversiarum, quas olim homines, *Ecclesiae Romanae* addicti, et *Protestantes* inter se mutuo gesserunt; imperium tum *Rationalismi*, tum *Mysticismi*, per varias Europae regiones longe lateque ser-

(†) Eadem verbo jam notavit VAN DER WAIJEN, p. 22, 23. Plura vero monuerunt ERASMUS, p. 906 sqq. TITTMANN, p. 53 sqq. aliique, inprimis SCHOTT, l. c. p. 177 sqq. Cf. CICER. *Or. ad Marc. Brut.* cap. 21.

serpens; studium denique boni communis amplificandi et propagandi, cum proclivitate ad vitam suavem, mollem et delicatam conjunctum.

§. 8.

Orationi Sacrae autem materiam invenire, quae aetatis ingenio conveniat, quemvis bonum multo magis attenta docet sui temporis cogitatio, ipsiusque rei frequens periclitatio, quam certarum regularum observatio. Generatim tantum monemus, homines haud raro ita peccare, ut vel aequalium suorum vitiis blandiantur, vel in virtutes eorum coeco impetu invehantur; sed ab Oratore Sacro hanc aetatis suae rationem esse habendam, ut quae in ea laudanda et vituperanda sunt, diligenter a se invicem discernens, haec prudenter corrigere, illa quam maxime promovere et augere studeat.

§. 9.

Plus una vero *causa* est, cur Orator Sacer in materia, quam aetatis suae ingenium sibi postulat, pro auditoribus tractanda totus esse debeat: qui enim hoc sibi curae cordique habet; uti aures hominum attentas facit ad ea, quae dicuntur, sic locupletissimus iis auctor est virtutes, quas maxime desiderant, sibi quaerendi, et vitia, sibi contagione mali allata, repellendi.

§. 10.

Novimus quidem, celebriorum urbium incolas aeta-

tatis suae ingenio multo citius graviusque affici solere, quam qui in pagis degant aut oppidulis, ex vitae communis tanquam luce remotis; sed cum vel hi tamen rarissime ex popularium suorum commercio tam penitus exclusi sint, ut vim ejus in sentiendo et agendo nullo modo experiantur; Oratorem Sacrum, in hujusmodi hominum societate versantem, sedulo explorare oportet, quatenus ingenii, quod aetati proprium est, habenda sit ratio, ut orationi suae materiam sumat, desideriis auditorum satisfacientem (†).

§. 11.

Sed orationis Sacrae materia, uti ad ingenium aetatis, sic sigillatim etiam *ad diei, quo quis pro concione dicit, rationem accommodata esse debet:* sive Literarum Sacrarum locus, a quo dicendi initium fit, vel ipsius orationis argumentum, id est, alterutrum eorum, quibus materia illa constat, oratori praescribitur; seu utrumque ab ejus libertate pendet.

§. 12.

Diebus festis anniversariis, quibus CHRISTI *natales, reditus ex morte in vitam, abitus in coelos*, nec non *donorum Spiritus Sancti effusio in sectatores ejus* celebrantur, Orator Sacer, his in regionibus, *certa legibusque constituta Literarum Sacra-*

rum

(†) Prae aliis legantur MARHEZOLL, p. 197 sqq. et SCHOTT, p. 205 sqq.

rum loca tractare tenetur. Quod quamvis more receptum est; nonnulli tamen, postquam de locis illis semel, bis vel saepius jam dixerunt, ab instituto communi, se auditoribus gratum facturos esse opinantes, haud raro discedunt, atque alia, tempori pariter accommodata, sibi tractanda sumunt: sed nescire videntur, homines vulgo, tum urbanos, tum rusticos, memoriam rerum, diebus festis celebrandarum, conjungere malle cum lustratione locorum, quibus inde a pueritia assueti sint, quam ad inusitata mentem convertere.

§. 13.

Jam vero *argumentum orationis Sacrae*, quae *his de locis* habetur, ita comparatum esse debet, ut ipsae res gestae, quarum causa dies festi constituti sunt, et clara in luce ponantur, et auditorum memoriae penitus infigantur, et ad sincerum pietatis ac virtutis studium pectoribus imprimendum religiose adhibeantur: quorum omnium concioni desiderium relinquunt, quicunque CHRISTI et societatis Christianae historiam, in locis tractandis expressam, obiter tantum attingunt, vel silentio prorsus praetermittunt, vel una cum scriptorum sacrorum verbis in rem trahunt, ab horum virorum mentibus alienam.

§. 14.

Quamquam autem necesse non est *argumentum orationum*, quae his de locis habendae sunt, quotannis *mutare;* huic tamen labori se identidem submit-

mittere juvat: quoniam et praeterlapso longiore temporis spatio copia esse solet emendandi; et quae plus semel jam repetita sunt, plerumque minus bene recitantur, quam quae recens ex mente prodierunt; et auditores denique hac in re varietatis et novitatis gratia summopere delectantur et ad animorum attentionem exstimulantur.

§. 15.

Ad argumentum orationis identidem mutandum, Literarum Sacrarum loca ita tractari possunt, ut nunc de ipsius rei, ibi traditae, aut natura, aut veritate, aut de utraque dicatur; nunc de necessitudine, quae inter eam et universam religionem Christianam, vel unam alteramve hujus religionis partem intercedit; nunc de bonorum, quae antiquiora et recentiora tempora ei debuerunt, copia et ubertate; nunc de gravissimo, quod ei inest, pondere ad salutem humanam, tum in hac vita terrestri, tum in beatorum sedibus procurandam; nunc alio de argumento, ex Scriptorum Sacrorum verbis eruendo.

§. 16.

Attamen orationem Sacram die festo iterum iterumque repetere praestat, quam tempori minus accommodatam pro ea substituere (†): hujusmodi enim die solenni, ut prae ceteris pro concione dicenda sunt, quae ad majestatem ejus illustrandam, ejus-

(†) Jacobi, l. c. p. 50 sqq.

ejusque utilitatem amplificandam maxime conferre possunt; sic e contrario omnia, quibus auditores a memoria rerum gravissimarum pie et religiose celebranda abstrahuntur, longissime arceri debent.

§. 17.

Itaque, quamvis haud pauca Literarum Sacrarum loca, quorum tractatio diebus festis oratori praescribitur, valde difficilia sunt, ad difficultates tamen tollendas brevitate utendum est, ut in rebus gravissimis, quarum causa homines ad aedes sacras congregantur, explicandis omnis cura et diligentia poni possit: tempori vero inservire negligunt, qui in longiores excurrunt verborum interpretationes, quales vel permittuntur, vel requiruntur, ubi causa minus clara et augusta pro concione agitur.

§. 18.

Similiter officii sui immemores sunt, qui monitis praeceptisque vulgaribus orationi suae, vel inserendis, vel subjiciendis, et sibi tempus auferunt concionem copiose de iis admonendi, quae dies festus tanquam peculiari jure sibi postulat, et auditores suos non tantum in opinionem inducunt, inter anniversariam populi congregationem ad diem festum agendum, et concionem sacram cujusvis hebdomadis parum vel nihil interesse; sed etiam impediunt, quominus vi illa singulari, quae ad studia pietatis et vir-

virtutis alenda solennium celebrationi inest, pectora eorum afficiantur (†).

§. 19.

Qui per septem hebdomades, ad *suprema* CHRISTI *fata* recolenda consecratas, pro concione dicunt, dierum quidem festorum, proprie ita dictorum, celebrationem auditoribus non praeeunt; sed tamen, quatenus, aeque ac diebus illis, secundum certa legibusque constituta Literarum Sacrarum loca, gravissimam historiae partem tractare debent, iisdem adstringuntur regulis, quas exhibuimus supra. Inprimis vero id agant oportet, ut benevolentiae illius incomparabilis, qua CHRISTUS ad salutem generis humani durissima quaevis perpessus et in cruce mortuus est, memoria numquam non repetatur et imis hominum pectoribus infigatur (*).

§. 20.

Ipsius orationis Sacrae argumentum oratori praescribitur, si *ad normam Catechismi*, vel Heidelbergensis, vel Genevensis, vel alius cujuslibet de doctrina Christiana dicendum est. Qua quidem in re ceteris paribus *Catechismum* presse sequi praestat, quam

(†) De orationibus sacris, quae his diebus festis habendae sunt, legantur TITTMANN, p. 69 sqq. DAHL, p. 100 sqq. SCHOTT, p. 177 sqq. GROTEFEND, p. 79 sqq.

(*) SCHMID, *beknopte handleiding voor leeraars van den Kristelijken Godsdienst, om. verstandig en nuttig te prediken over de lijdensgeschiedenis van* JEZUS CHRISTUS. p. 1. sqq. Cff. AMMON, p. 115 sqq. DAHL, p. 110 sqq.

quam ab ejus ratione discedere; at summopere tamen curandum est, ut, missis disputationibus quibuslibet scholasticis, ipsa tantum religionis disciplina auditoribus ad bene beateque vivendum explicetur et probetur. Sed de hac populi institutione, quia magis ad doctoris, quam ad oratoris provinciam referenda est, plura nunc dicere nihil attinet (†).

§. 21.

Progrediamur ad ostendendum, quomodo oratio Sacra tempori accommodanda sit, ubi et *argumentum* ejus, et *Literarum Sacrarum locus*, quo instruenda est, *ab Oratoris libertate pendet.* Haec enim fortuna oratori obtingit, cum pro concione *antiquiores aut recentiores* commemorandi sunt *rerum casus et eventus* iidemque varii generis, quos hic breviter recensere juvabit.

§. 22.

Ordinem ducunt dies anniversarii, ad *rem sacram* vel *civilem* pie et religiose recolendam, more recepti vel legibus constituti: uti cum solenniter *anni* celebratur *exitus*, vel *introitus;* aut *mortis* CHRISTI memoria redintegratur; aut *publica* habetur *supplicatio;* aut *sacrorum instauratio* praedicatur; aut *messis* vel *piscatus causa* gratiae Deo aguntur, vel preces in coelos mittuntur. His succedunt, qui ad ritus sacros faciendos destinati sunt, et quotannis plus semel

(†) Vide quae monuimus supra Part. I. cap. 2. §. 12 sqq.

mel redeunt: uti dies *Baptismi*, *Coenae Sacrae*, *Confessionis peccatorum*. Agmen claudunt, qui non quovis anno, sed incertis incidunt temporibus, et partim ad civitatem spectant, ut cum de *pace*, *bello*, *victoria*, *calamitate singulari* dicendum est; partim ad *Ecclesiam*, ut cum *munus antistitis Sacrorum capessitur*, vel *deponitur*, vel *quis ei initiatur* (†).

§. 23.

Cuivis horum dierum plura *dicendi argumenta* accommodari posse, nemo non intelligit: sed ab oratore haec optio facienda est, ut sibi sumat illud, quod maxime aedibus sacris dignum, cum Divina religionis causa conjunctum, et appositum sit ad persuadendum auditoribus, ut homines sint vere Christiani. Cujusmodi autem *Literarum Sacrarum loco*, tanquam dicendi principio, orator uti debeat, paulo copiosius commonstrandum est.

§. 24.

Et primum quidem Literarum Sacrarum loco utendum est, *cujus sensus proprius et verus cum orationis argumento conveniat*. Oratio enim, quae figurata loci alicujus nititur interpretatione, hanc frau-

(†) Praecipuos *rerum casus et eventus*, de quibus oratio Sacra habenda est, recensuisse satis sit. Plures memorarunt AMMON, p. 106 sqq. THYM, p. 144, 145. DAHL, p. 104 sqq. 252 sqq. KAISER, p. 108 sqq. GROTEFEND, p. 258 sqq. ita tamen, ut orationes, quae hoc uno nomine a nobis comprehenduntur, vario modo distinguerent.

fraudem facit auditoribus, ut ipsi Scriptori Sacro mentem alienam affingere doceantur; vel eos in opinionem inducit, de re tantum humana agi, cui Divina desit auctoritas; et omnino vi illa caret, qua hominum animi afficiuntur, si argumentum iis proponitur, quod non ex ingenio oratoris profectum, sed disertis verbis a Deo traditum esse vident.

§. 25.

Deinde, ut necessitudo, inter orationem et Literas Sacras intercedens, omnium incurrat in oculos, diligentiam ponere oportet in loco inveniendo, *qui argumento*, quod sibi constituit Orator, *plene et ex omni parte respondeat*, quin etiam *nullum aliud* argumentum *admittat*. Minus commoda vero sunt loca, ex quibus argumentum non nisi imperfecte, vel per ratiocinationum seriem erui potest.

§. 26.

Praeterea his diebus, non a Literarum Sacrarum loco, multum ambiguitatis vel obscuritatis habente, sed *qui vel nulla vel exigua tantum interpretatione indiget*, orationis initium capiendum est: ne concio, pro qua dicitur, ab argumento, quod omnem animi attentionem sibi postulat, cogitando avertatur, atque rebus nunc alienis tempus perdatur.

§. 27.

Neque Oratorem, *quoties dies illi solennes redeant*, *alium* Literarum Sacrarum *locum*, a quo dicere incipiat,

plat, *sibi invenire* poenitebit. Assidua enim horum locorum mutatione non solum omnis pigritiae vel negligentiae suspicio ab eo amovetur, sed ipsius etiam argumenti assidue mutandi ansa ei praebetur.

§. 28.

Quae de materia, ad antiquiorum vel recentiorum casuum et eventuum commemorationem, orationi Sacrae invenienda huc usque monuimus, satis crebro quidem tanta premuntur difficultate, ut ab omni parte perfici nequeant: sed hujus tamen difficultatis sensu nemo se abduci patiatur ab omnibus intendendis animi viribus, ut ea quovis meliori modo observet.

§. 29.

Ceterum experientia docet, Literarum Sacrarum locum, qui menti oratoris, ad dicendum se parantis, sine negotio succurrat, plerumque aptissimum esse, ut diebus solennibus tractetur. Quod minime negant hujus disciplinae doctores, ubi Oratorem Sacrum exhortantur, ne in eo, quod menti primum observatur, segniter acquiescat (†).

§. 30.

Atque sic *generatim* ostendimus, quomodo orationis Sacrae materia ad diei, quo pro concione dicitur, rationem accommodanda sit. Sed multi quoque hu-

(†) NIEMEYER, *Homiletik, Pastoralanweisung und Liturgik.* p. 40 sqq. AMMON, l. c. p. 52 sqq. TITTMANN, l. c. p. 78 sqq. DAHL, l. c. p. 17 sqq. SCHOTT, l. c. p. 116 sqq.

hujus disciplinae doctores definire conantur, quid *singulis quibusque diebus festis et solennibus* ab oratore fieri debeat (†). Nos vero, quominus horum virorum vestigia sequamur, non solum cohibet brevitatis studium, sed animi etiam persuasio, quaecunque illi praescribant, aut levioris ponderis, aut certe talia esse, ut ex supra dictis facile eruantur, vel ex rei natura et indole intelligantur (*).

§. 31.

Recentiore maxime memoria nonnulli legem, *de certis Literarum Sacrarum locis quavis hebdomade dicendi*, inter omnes Christianorum hominum familias inducere voluerunt, et ita quidem, ut singulis annis idem quasi orbis Sacer expleretur. Sed primum fieri non potest, ut orbis Sacer constituatur, quin multum ei insit longe quaesiti. Deinde ubi eadem locorum series quotannis tractanda sit, jam antea dicta (quod auditoribus paulo intelligentioribus nauseam creat) nimis crebro repetenda, vel Scriptorum Sacrorum verba ad rem quamlibet alienam contorquenda esse, satis superque docet experientia. Denique libertate illa loci Literarum Sacrarum sibi sumendi, qua hac in patria nostra plerique oratores utun-

(†) AMMON, p. 106 sqq. DAHL, p. 104 sqq. GROTEFEND l. c.

(*) Cf. BAUER, *Paragraphen als Grundlage zu Vorlesungen über die Homiletik.* p. 31 sqq. Ceterum legantur SCHOTT, l. c. p. 185 sqq. et TITTMANN, l. c. p. 72 sqq.

utuntur, sublata, copia quoque carebimus de argumento tempori accommodato ita dicendi, ut tota oratio Literarum illarum auctoritate nitatur (†).

§. 32.

Videlicet illis etiam diebus, quibus orationis Sacrae materia omnino ab oratoris libertate pendet, haud raro fit, ut dicendi argumentum ipsi, tanquam sponte sua, nunc offerat *anni coelive tempestas;* nunc *antiquioris vel recentioris aetatis historia;* nunc *laetior quaedam tristiorve fortuna*, cujus vel testis sit, vel ipse particeps; nunc *oratio nuper habita*, et ab auditoribus bene aut male accepta. Jam vero haec occasio tempori accommodate dicendi avide arripienda, quin etiam, si minus patet, sedulo quaerenda est.

§. 33.

Primum enim *orationes Sacrae tempori accommodatae*, etiamsi acriores et severiores admonitiones contineant, hominibus multo magis placere solent, quam aliae. Deinde gravius afficiuntur animi, si dicitur de argumento, de quo ipsi auditores, vel dici cupiunt, vel dicendum esse sentiunt, quam si quaerendi causa est, quid orator tandem spectaverit. Denique plurima quidem, quae pro concione dicentes ore proferunt, tanquam in aërem sparguntur et oblivio-

(†) Voigtländer, *Plan einer in allen ihren Theilen vollendeten Reformation der Christlichen Kirche.* p. 89 sqq. et Kaiser, l. c. p. 96.

vioni traduntur; sed ut quaeque sunt tempori accommodatissima, ita maxime in hominum quasi medullis et visceribus infixa haerent; ita ab iis et domi recoluntur cogitando, et apud familiares sermocinando: atque sic ad animos illustrandos, emendandos et consolandos mirifice inserviunt.

§. 34.

Et admonitio sane, occasionem pro tempore dicendi semper arripiendam, et vel quaerendam esse, non solum rationibus et argumentis probatur; sed hoc in orationum genere veram illam habitare eloquentiam, quae hominum mentes vi sua regat et flectat, exemplo suo docent BASILIUS, CHRYSOSTOMUS, AUGUSTINUS, aliique veteres Sacrorum antistites, qui dicendo tantum polluerunt, quoniam vel sui, vel praecedentis temporis casibus et eventibus utebantur, ut concionem recti et honesti studio implerent, et ad spem vitae beatae erigerent (†).

§. 35.

Sed ne studium tempori accommodate dicendi in abusum vertatur, magna prudentia Oratori Sacro opus est. Et duo praesertim sunt, a quibus sibi cavere debet: alterum, ne se rebus immiscens politicis, litis et discordiae semina, quamquam invitus, inter auditores spargat, aut virorum, his in rebus bene versatorum, risui se exponat; alterum, ne rerum casus et eventus, aut vulgi captu superiores,

aut

(†) Cf. HYPERIUS, l. c. p. 40, 41.

aut leviores et concione sacra indignos commemorans, gravissimam, quam agit, causam dedecoret, et auditori paulo excultiori fastidium creët: quod periculum inprimis subeunt, qui in vicis oppidisve minoribus Oratoris Sacri munere funguntur.

§. 36.

Orator Sacer igitur, si in argumentum incidet, quod sibi tempori accommodatum esse videbitur; continuo explorabit, num illud populare sit: deinde num hominibus ad aedes Sacras congregatis proponi mereatur: denique num ejus tractatio spem faciat auditoribus persuadendi, ut homines sint vere Christiani. Quae si ita sunt; hoc argumentum, de quo pro concione dicat, ceteris omnibus praeferre, et haud dubie licet, et vero oportet (†).

§. 37.

Sed saepe Oratores Sacros, inprimis, qui bis vel ter per hebdomadem dicendi causa in concionem vocantur, argumentum tempori accommodatum frustra quaerere, res ipsa loquitur. His igitur nihil aliud restat, quam illarum religionis Christianae doctrinarum, quae semper et ubique ejusdem utilitatis sunt, unam alteramve sibi tractandam sumere.

§. 38.

(†) De orationibus Sacris tempori accommodandis jam lectu digna scripsit HYPERIUS, p. 184 sqq. Ceterum cff. SCHOTT aliique supra ll.

§. 38.

Orationis Sacrae materiam, quemadmodum tempori, in quo Orator Sacer versatur, sic etiam *concioni*, *pro quo ille dicit*, *convenire debere*, monuimus. Quod nemo ita intelligat, perversis hominum opinionibus, aut coecis eorum cupiditatibus indulgendum esse. Immo vero, quo melius illae ex animis deleantur, materia ab oratore tractanda est, auditorum desideriis accommodata.

§. 39.

Et primum quidem omnes in materia orationi suae invenienda distinguere oportet, utrum vocentur in concionem hominum, quorum haud pauci religionis Christianae capita, et disciplinarum ad humanitatem pertinentium elementa bene aut probabiliter edocti sint, an vero dicendum sit pro auditoribus, qui, uno forte alteroque excepto, in tristissima jacent rerum Divinarum et humanarum ignorantia. Nam quemadmodum hi tractatione materiae, quae veluti sponte sua intelligitur, erudiendi, et quasi lacte nutriendi sunt, donec solidius alimentum concoquere possint; sic illis graviora cum levioribus mixta adhibere juvabit; et ita quidem, ut nunc repetantur initia doctrinarum, nunc proponantur, quae paulo altioris indagationis, et Historiae, Philosophiae popularis aliarumque disciplinarum ope illustranda sunt.

§. 40.

Deinde Orator Sacer circumspicere debet, num in-

inter auditores curae suae mandatos, aut *Rationalismus* serpat, aut *Mysticismus*, aut languor ille animorum, qui, ut neutri harum partium se dedit, sic ita comparatus est, ut CHRISTUS quidem in ore, non vero in corde habitet. Quod ubi fit, materia maxime orationi invenienda est, qua, vel Divina religionis Christianae origo in luce ponatur et defendatur; vel rationi humanae jus suum sensum et *Phantasiam* regendi restituatur; vel animis denique ad omnes hominis vere Christiani partes explendas fervidus ardor injiciatur.

§. 41.

Porro cum inter homines varia cerni soleant vitia, atque alii praecipue iracundia, audacia, vel timiditate, alii propensione in vinum aut venerem, alii alias turpissimas ignominiae notas sibi contrahant; Orator Sacer explorare debet, quaenam vitia apud auditores suos tanquam regnum occupaverint. Quo explorato, de vitiis quidem, quibus pauciores auditorum indulgent, nullo modo tacendum, sed id tamen oratione inprimis agendum est, ut haec maxime vulgaria regno suo expellantur, et homines ad pacem, pudorem, aliasque, quibus carent, virtutes reducantur.

§. 42.

Jam vero *orationis Sacrae materia*, ut concioni, pro qua dicitur, conveniat, tum *ad vitae genus, auditoribus proprium*, accommodanda est; tum *ad*

 lo-

loci, quem incolunt, conditionem; tum *ad fortunae statum, quo utuntur;* tum denique *ad necessitudinem, cujus vinculo cum aliis hominibus conjuncti vel sunt, vel antea fuerunt.*

§. 43.

Orationis Sacrae materiam *ad vitae genus, auditoribus proprium*, accommodandam esse, ex eo sequitur, quod ex hujus vitae generis diversitate magna ingeniorum, opinionum ac morum oritur diversitas. Alia igitur materia saepe tractanda est pro regibus, civitatum principibus, eorumque comitatu, quam pro corona militum; alia pro corona militum, quam pro mercatoribus artiumve fabrilium cultoribus. Similiter qui agriculturae, aut vitae pastoritiae, aut piscatui operam dant, et ab his, et inter se invicem tantum differunt, ut singuli rursus habeant, quod tanquam privato jure sibi postulent. Sic e. c. Orator ex vitae muneribus et negotiis, quae ipsius auditores obeunt, plerumque jam intelligit, utrum doctrinae Christianae adversarios ex industria refellere, an hac de doctrina ita dicere necesse sit, ut nemo mortalium ab ea dissentire videatur.

§. 44.

Ad loci, quem auditores incolunt, conditionem orationis Sacrae materia accommodanda est, quoniam ingeniis etiam, opinionibus ac moribus inter se differre solent homines, prouti rure, vel in oppidis degunt, aut in urbe illustriore adeoque capi-

pi-

pitali regionis. Quod hanc habet vim, ut e. c. aliis in locis se identidem effusioni in lautam ac delicatam vitam strenue opponere perquam necessarium, in aliis illud vel semel attingere absurdissimum sit. Quin etiam in diversis ejusdem regionis provinciis haec hominum diversitas tanta est, ut judicium, materia orationis idonea an minus idonea sit, plus semel a quaestione, ubinam dicatur, pendeat: uti e. c. in plerisque Hollandiae septemtrionalis pagis ineptum est, veram CHRISTI disciplinam adversus superstitionis fanaticae commenta tueri; aptissimum vero *Practico*, quem vocant, *Indifferentismo* strenue fortiterque obviam ire: e contrario in Hollandia australi illud haud secus, et saepe multo magis, quam hoc agendum est.

§. 45.

Praeterea, ut orationis materia auditorum ingeniis, opinionibus ac moribus conveniat, attendendum est *ad fortunae statum, quo illi utuntur.* Alii nempe oratores in concionem vocantur hominum, quorum plerique vel opibus abundant, vel certe ad vitam bene sustentandam nihil desiderant. Aliis auditores sunt, qui, maximam partem, et, vix uno alteroque excepto, omnino omnes tristissima rerum jucundarum et vel necessariarum inopia premuntur. Itaque, ut hi perpetuo sursum erigendi sunt, ne tenuitas conditionis humilitatem animi et vitiorum sordes paupertatem concomitantes attrahat; sic illi as-

si-

sidua indigent admonitione, ne fastui se tradant, aut petulantiae, aut effusae luxuriae, aut aliis opulentiorum hominum peccatis: utrumque autem conjungendum est, si, uti vulgo fit, pro utroque hominum genere dicitur.

§. 46.

Ratio denique habenda est *necessitudinis*, *cujus vinculo auditores cum aliis hominibus conjuncti vel sunt*, *vel antea fuerunt:* veluti, utrum illi indigenae sint, an magnam partem alienigenae: commercium cum suis tantum popularibus, an etiam cum hominibus exteris habeant; atque hoc frequentius an rarius sit: ludimagistris, religionis doctoribus, Oratoribus Sacris adhuc uti sint vel utantur diligenter, an negligenter in munere suo versantibus. Haec enim et horum similia haud raro viam commonstrant materiae, de qua concioni accommodate dicatur, inveniendae.

§. 47.

Orationis autem Sacrae materiam concioni accommodandam esse, ex eo intelligimus, quod Orator consilio dicere debet auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint. Sed generatim monendum videtur, qui hujusmodi sibi sumant materiam, multo certius sperare posse, se voto ac desiderio suo satisfacturos esse, quam qui locum tractent communem: siquidem ad loca communia ita tractanda, ut oratio hominum vulgo placeat, nec viris erectioris in-

ingenii displiceat, saepe ne sagacissimum quidem valet mentis acumen.

§. 48.

At vero, ut orationis Sacrae materia jure suo auditoribus dici possit accommodata, adhibenda cautio est, ne quis, *externae hominum conditioni nimium tribuens*, se ad iniquum de iis judicium ferendum induci patiatur. Quem in errorem e. c. incidimus, si eos, qui ex stirpe nobiliore orti sunt, vel in regum principumque aulis versantur, vulgo rerum Divinarum peritiores, quam alios esse opinamur.

§. 49.

Et quamquam haec materia auditoribus ita accommodanda est, ut non solum ad virtutes, quibus carent, impellantur, sed etiam vitiorum, quae eorum propria sunt, vinculis solvantur; sedulo tamen perpendendum est, *quomodo vitiis* illis *obviam eundum sit*, recta, an oblique? Saepissime enim, si Oratotores Sacri se recta via perversitati hominum opponunt, tantum abesse novimus, ut animi eorum ad honestum flectantur, ut adversus illud reddantur obstinatiores: quod experientia edocti sunt, qui e. c. regnante inter homines suae curae demandatos ebriositate, talem sibi sumserant dicendi materiam, ut hac in pravitate exagitanda et sobrietate concioni commendanda toti fere versarentur.

§. 50.

§. 50.

Sed ne quis putet sacrorum antistes, orationes suas, sive vinculo quodam inter se connexae sint, seu non sint, pariter concioni accommodatas haberi posse; animadvertendum insuper est, oratorem officii sui partes non explere, nisi talem sibi materiam, quoad fieri potest, quaerere, eamque hunc in ordinem disponere annitatur, ut auditores *continuato quasi per gradus progressu* doctiores, meliores, beatiores reddantur.

§. 51.

Si autem Orator Sacer (quod haud raro fit) materiam invenire nequit, auditoribus suis accommodatam; libertas sibi sumendi, quod ab eorum commodis et desideriis abhorreat, ei nullo modo data, sed doctrina quaedam generalis, omnique concioni Christianae utilis ab eo tractanda est, et ita quidem, ut potioris auditorum partis maxime rationem habeat, horum neminem vero prorsus negligat (†).

§. 52.

(†) De orationibus concioni accommodandis egerunt NIEMEYER, l. c. p. 36 sqq. MARESZOLL, p. 172 sqq. TITTMANN, p. 64 sqq. THERREMIN, p. 140 sqq. KAISER, p. 84 sqq. SCHOTT, p. 205 sqq. aliique. Cf. et FROSSARD, *Observations sur l'éloquence du chaire*, quae disputatio praemissa est libro *sermons de* HUGH BLAIR. Tom. I. p. XXVII, sq. XXX. alibi ed. nov. Quam difficile autem sit, unam eandemque orationem Sacram hominibus diversi generis ordinisque accommodare, docuit VAN VOORST, *Leerredenen bij bijzondere gelegenheden en eenige andere.* Praef. p. v sqq.

§. 52.

Scripsimus quoque supra, orationi Sacrae inveniendam esse *materiam*, *quae ipsi conveniat dicenti.* Jam vero illud haec tria in se continet; eam oratoris et *ingenio* convenire, et *personae*, et *vitae.*

§. 53.

Uti in proverbio positum est, non omnes omnia posse; sic quorumvis Oratorum Sacrorum *ingeniis* non quaevis materiae aeque conveniunt. Aliis enim enarratio historiae, aliis doctrinae vel contemplativi, vel activi generis tractatio convenientior est. Similiter aliis magis ex voto succedere solet materia, quae nudam et tenuem, quam quae gravem variisque imaginum coloribus distinctam sibi postulat orationem: alii contra haud secus, vel et multo magis, ad sibi hanc quam illam sumendam nati videntur. Si quis igitur materiam sibi arridentem aut quaerendo invenit, aut inopinato nactus est; sedulo explorandum est: *quid valeant humeri, quid ferre recusent*, id est, utrum parem et idoneum se habeat ad illam bene tractandam, an aut intricatior, aut subtilior, aut gravior sit, quam ut spem eventus optati ostendat. Haud raro enim fit, ut, qui, ingenii sui immemor vel ignarus, quaevis promiscue suscipit, sibi et auditoribus displiceat adeoque nequidquam dicat: qui vero nihil aliud aggrediuntur, quam quod ingenio suo accommodatum esse repererint,

viam

viam sibi muniunt auditoribus persuadendi, ut homines vere Christiani sint.

§. 54.

Deinde Oratorem Sacrum etiam *personae* suae rationem habere oportet: videlicet Theologiae candidatus sit, an Sacrorum antistes jam coöptatus: ad dicendum vocetur pro concione curae suae demandata, an pro aliena: nuper admodum in stationem sibi decretam venerit, an longo jam tempore ibi degerit: solus loco alicui praefectus sit, an uni pluribusve collegis adjunctus. Quod enim oratorem decet pro concione sibi demandata et jam diu cognita dicentem, uti e. c. severa discordiarum ibi serpentium reprehensio, Theologiae candidatum vulgo dedecet, vel hominem nuperum et novitium, vel qui aliena vice fungitur. Et similiter quis haud raro, ut eodem atque collega suus vel collegae procedat tramite, aut pacem cum iis custodiat, certam aliquam materiam nunc sibi eligere, nunc spernere debet, ubi alii Oratores Sacri a nemine pendent.

§. 55.

Denique ab Oratore Sacro ratio habenda est *vitae* suae: id est, juvenis, vir aetate vigens, an senex sit: coelebs vivat, an matrimonio cum uxore copulatus: liberis gaudeat, an eos desideret. Liberorum indolem, familiae conditionem, magis minusve beatam, plura alia brevitatis causa praeterimus. Qui autem ad haec singula animum attendere negligunt, haud

haud raro se rebus implicant tractandis, quae sibi minus cognitae et perspectae sunt, aut suae certe non omnino congruunt vitae: ut cum e. c. juvenis severus morum censor et castigator esse solet, vel, qui prole caret, in dicendo de puerorum educatione frequens est: quorum alterum tantum quadrat in viros maturioris aetatis; alterum in patrem familias.

§. 56.

Neque haec tamen sic intelligenda sunt, ac si oratorem, quod vulgo eum dedecet, etiam dedecere censendum sit, quando necessitate quadam singulari ad viam consuetam deserendam urgeatur. Nam ubi e. c. discordiarum semina tam longe lateque serpserunt, ut mali contagio, nisi subito reprimitur, teterrimam minitetur morum depravationem; quis tandem aegre ferat, oratorem, qui nuper demum muneri suo initiatus sit, materiam sibi invenire, cujus tractatione se huic malo, prudenter quidem, at fortiter tamen opponat.

§. 57.

Sed Oratoribus Sacris, qui tractationem *certae alicujus materiae* sibi praescriptam vident, nulla quaerendi causa est, num illud, quod dicere jubentur, sibi conveniat: immo vero, fiducia sua in auxilio Divino posita, negotium sibi impositum sine metu peragere debent, hoc unum caventes, ne praeter necessitatem orationi talia admisceant, ut extra pro-

vinciam suam temere vagari videantur (†).

§. 58.

Atque haec cautio ab iis omnino tenenda est, qui, altera materiae parte, id est, *orationis argumento*, inventioni suae relicta, alterius, quae in *loco Literarum Sacrarum* pro concione tractando cernitur, sibi eligendae potestate carent: quod hac in patria nostra Oratoribus Sacris accidit, si certum et antiqua lege definitum Veteris vel Novi Testamenti caput singulis hebdomadibus interpretari jubentur; aut ipsi caput aliquod, vel carmen, vel librum integrum continua serie cum auditoribus persequi, et constituerunt, et inceperunt.

§. 59.

Si autem *locus*, cujus lustrationem vel sibi ipse orator, vel ei lex antiqua praescripsit, ab *argumento*, de quo ipsi dicendum videatur, eodemque gravioris ponderis abhorret, et alium tamen sibi sumere audacius vel imprudentius est; hunc locum ita potius tractandum esse arbitramur, ut argumenti illius tantum, quantum Scriptoris Sacri verba ferant, orationi adspergatur, quam ut Literis Sacris sensus figuratus subjiciatur (*).

§. 60.

(†) De orationis materia ipsi Oratori conveniente, NIEMEYER, p. 34 sqq. DAHL, p. 98, 99. KAISER, p. 88 sqq. SCHOTT, p. 245 sqq.

(*) De locis Oratori Sacro praescriptis legantur in primis TITTMANN, p. 93 sqq. SCHOTT, p. 144 sqq.

§. 60.

At quaestio est, quid muneris ratio sibi postulet, si Orator *argumentum* aliquod tractare cupiens, libertate quidem *verba Veteris* aut *Novi Testamenti*, cum eo consentanea, quaerendi atque eligendi gaudet, neque hujusmodi tamen verba usquam reperire potest; sed huic quaestioni infra demum respondendum erit (†): nunc vero monendum videtur, haud raro fieri, ut, argumento, quod tractetur, non suppetente, nihil aliud restet, quam Literarum Sacrarum locum circumspicere, qui omnem ipse dicendi materiam praebeat.

§. 61.

Quod ne quis forte hominibus Christianis minus optabile putet, notare haud supervacaneum est, verba, quorum tractatio cuivis concioni utilissima sit, in *Veteri Novoque Testamento* nunquam frustra quaeri; quin etiam his in libris haud raro reperiri locum, qui oratorem ad argumentum tempori opportunum, quod sibi lateat, inveniendum tanquam manu ducat. Et vero, quoniam Literae Sacrae sentiendi et agendi normam continent, omnibus CHRISTI sectatoribus praescriptam, maximi jam per se pendenda est oratio, qua ad *Literarum illarum interpretationem* auditores docendam nonnihil conferatur.

§. 62.

(*) Cap. II. §. 44.

§. 62.

Sunt quidem, qui hoc *interpretandi negotium* orationi Sacrae frigus ac sterilitatem inferre et eloquentiae veri nominis officere opinentur: sed hanc opinionem, aut perversa niti eloquentiae aestimatione, aut interpretationis exilis gravisque confusioni deberi, exemplo suo docent CHRYSOSTOMUS aliique viri summi, qui, in explicandis Scriptorum Sacrorum mentibus versantes, incomparabilem dicendi vim ostenderunt: et si vel fatendum sit, ex hoc dicendi genere nonnunquam auribus paulo minorem voluptatem quam aliunde sperandam esse; quis, quaeso! cum levius illud desiderium utilitatis copia et ubertate satis superque compensetur, negare tandem sustineat, neminem ad auditoribus persuadendnm, ut homines vere Christiani sint, magis apposite dicere, quam Literarum Sacrarum interpretem (†).

§. 63.

Si quis autem officio, Literarum Sacrarum loca, quae interpretetur, quaerendi et eligendi bene et laudabiliter fungi cupit; *varietatis* maxime *ratio* habenda est, ut identidem, tum *Veteris* et *Novi Testamenti* loca, tum quae historici et alius argumenti sunt, tum longiora et breviora, tum denique facilio-

(†) Legatur praeter HOLLEBEEKIUM, l. c. p. 52 sqq. aliosque, VAN DER PALM in *orat. de Oratore Sacro, Literarum Divinarum interprete*, praesertim p. 23 sqq. quibuscum se consentire nuperrime significavit BAUER, p. 15.

liora et difficiliora se invicem excipiant. Duo tamen animadvertenda sunt: alterum, et sibi et auditoribus suis minus consulere, qui locum lustrare aggrediatur, cujus in sensu intelligendo ipse quodammodo haereat; alterum, interpretationem nullius loci, quam cujus verba homines vulgo a pueris memoriter ediscant, ceteris paribus, melioris frugis esse solere (†).

CAPUT II.

De Orationis Sacrae forma.

§. 1.

Orationis Sacrae materia exposita, sequitur nunc, ut de ejus *forma* agamus. Quod ut via et ratione procedat, deinceps ostendere lubet, qualem formam, et universum orationum Sacrarum genus, et singulae earum species sibi postulent.

§. 2.

Qualem sibi formam *universum* postulet *orationum Sacrarum genus*, aptius dicere non posse nobis videmur, quam usitatione trium vocabulorum, *unitatis*, *concinnitatis*, *simplicitatis:* quibus tamen a nobis non plane eandem tribui notionem, quam iis tribuerint Latini veteres, neutiquam ignoramus.

§. 3.

(†) Cff. scriptores ll. §. 29.

§. 3.

Orationi Sacrae inest *unitas*, si singulae ejus partes ad unam tantum eandemque rem spectant, quae nunc explicetur, nunc argumentorum vi probetur, nunc a contradictionibus vel dubitationibus vindicetur, nunc auditoribus commendetur, nunc alio quodam modo agitetur: et ita quidem, ut partes illae, etiamsi plus uno nomine inter se differant, hactenus tamen similes sint circuli radiis, in medium aequaliter tendentibus ibique se contingentibus.

§. 4.

Minus intelligitur *unitatis* notio, si quis ea rerum *varietatem*, quae sine controversia ad orationis Sacrae pulchritudinem requiritur, tolli vel arceri putat; aut si, ad eam religiose observandam, oratori interdicit, ne tanquam de via in diverticulum excurrat atque in loco sibi amoeno auditores praeter spem et exspectationem paulisper teneat: quod, uti salva orationis *unitate* fieri potest, sic omnino necessarium est, ubi ipsa causa *digressionem* postulat.

§. 5.

Sed *unitate carent* orationes Sacrae, quarum digressiones ad causam, quae agitur, illustrandam aut corroborandam nihil pertinent; vel quae ita constitutae sunt, ut singulis earum partibus res contineantur, aut necessitudine quidem aliqua inter se copulatae, nec tamen uni eidemque argumento per omnia diffuso aeque alligatae; aut argumento tali non so-

solum non alligatae, sed nullo etiam necessitudinis vinculo inter se conjunctae.

§. 6.

Quae cum improbanda sunt, tum quod nobis volumus, *unitatem in omni oratione Sacra observandam esse*, cogitandi nititur ratione, mentis humanae propria; quippe quae semper ad rem tantum attenditur unam, nunquam ad plura simul. Quemadmodum igitur in vita communi prudens quisque, secundum hanc cogitandi rationem, sermonem suum ita instituit, ut nihil dicat, nisi quod ad unum illud, quod sibi obversetur, efficiendum quodammodo conferat; sic non aliter fieri potest, quin Orator Sacer, hoc nomine dignus, ad unum, de quo dicat, argumentum sibi sumendum et assidue persequendum toto animo impellatur.

§. 7.

Et sane! *multa* esse reperimus, *quibus unitas* orationis Sacrae *commendetur*. Primum enim oratio, hac virtute gaudens, omnes alias ceteris paribus perspicuitate vehementer superat. Deinde rebus varietate distinctis tum demum pulchritudo vere ita dicta inest, cum uno eodemque vinculo omnes inter se cohaerent. Porro experientia docet, illud, quo toti occupentur auditores, eorum in animos multo efficacius esse, quam quo nunc huc, nunc alio distrahantur. Denique memoriae et ipsius oratoris, et auditorum ejus facilius altiusque infigitur oratio, per

cujus partes varias unum aliquod argumentum diffusum est, quam cujus varietas *unitate* caret.

§. 8.

Qui contra disputant, in medium quidem proferre solent ingeniorum multorum mediocritatem, temporis, quo plerique se ad dicendum parare debent, brevitatem, loci Literarum Sacrarum, cujus interpretatio instituenda est, difficultatem: sed quamvis haec et alia horum similia culpam leniunt oratorum, qui ab *unitate* aberrant, vim tamen ipsius legis, unam tantum rem tractare jubentis, tollere aut infringere nequeunt.

§. 9.

Minus clare quidem et perspicue Graecorum et Latinorum veterum Rhetorici oratoribus praescripserunt, ut unam tantum rem sibi tractandam sumerent, cujus per omnes orationis partes cura haberetur et ratio (†): sed horum tamen oratores optimos quosque, quod aliunde non accepissent, veri pulchrique sensu sibi ingenito haud raro consecutos esse, ex monumentis constat, quae ad posteritatem translata sunt. *Patres* autem *Ecclesiasticos* saepissime res diversissimas eadem in oratione permiscuisse, multo minus mirandum est, quoniam plerique eorum et aetate vivebant ignorantiae jam foedissimae usquequaque ingruentis, et vitam degebant tam occu-

(†) Prae aliis lectu dignus est QUINCTIL. Lib. X. cap. 1.

cupatam, ut plerumque orationi parandae diligentiam impendere non possent, sed imparati in concionem procedere atque ex tempore dicere cogerentur.

§. 10.

Recentiore vero memoria viri docti unius tantum rei per totam orationem tractandae legem, oratoribus, tum universis, tum Sacris praescripserunt, utpote non Rhetoricorum arte inventam, sed ex ipsa natura petitam (†).

§. 11.

Concinnitatem orationis Sacrae intelligimus rectam et bene ordinatam singularum, et quidem tam minorum, quam majorum, partium dispositionem.

§. 12.

Duplici modo in singulis orationis Sacrae partibus disponendis *ordini consuli potest:* si nempe illae ita collocantur, ut vel ex praecedentibus deriventur sequentes, vel sequentibus corroborentur praecedentes. Harum autem dispositionum, quarum altera *Analytica* est, altera *Synthetica*, utra universae orationi singulisque ejus partibus convenientior sit, ex argumento ejus intelligitur: sed haec semper tenenda ratio

(†) FENELON, p. 187. SCHRANT, p. 260, 261. BLAIR, p. 238, 239. THEREMIN, p. 174 sqq. SCHOTT, Tom. I. p. 443. III. p. 2 sqq. 191 sqq.: a quibus hac nostra aetate vix unus et alter dissentit. Cf. VAN HENGEL, l. c. p. XI, XII.

tio est, ut ea *perpetuitas* in oratione cernatur, qua tanquam gradatim assurgat (†).

§. 13.

Concinnitas ergo *negligitur*, si, qui graviter dixit a principio, in tenuem desinit et exilem orationem; aut vel oratio eodem gradu, quo causam ingressa est, ad finem usque procedit: tum si in locum, rebus tantum unius ejusdemque generis patentem, inseruntur, quae generis sunt diversi: porro si vel in diversis vel in iisdem orationis partibus genera et species, generibus subjiciendae, promiscue juxta se invicem ponuntur: denique si ratio *Analytica* et *Synthetica* ita concurrunt, ut altera cum altera plane confundatur.

§. 14.

Easdem autem *cogitandi leges*, menti humanae positas, quae *unitatis* rationem habere jubeant, *concinnitatis* curandae officio Oratorem Sacrum submittere, tanto minus opus est, ut ostendamus, quanto clarius quisque sua sponte videt, hac virtute neglecta, multum et lucis, et nitoris, et efficacitatis ipsi orationi praecludi et haud raro etiam veri tramitem deseri (*).

§. 15.

(†) Usus sum verbis HERMOGENIS *de invent. orator.* Lib. III. cap. 12.

(*) TITTMANN, p. 253, 254. THERMIN, l. c. et SCHOTT, ll. cc. nec non Tom. III. p. 141 sqq.

§. 15.

Orationis Sacrae *simplicitatem* alii aliter explicuerunt (†): nobis vero ejus tum *stilus*, de quo infra dicendum erit, tum *forma* hac virtute nitere posse videtur. *Formam* habemus *simplicem*, si singulae orationis partes naturali quadam facilitate, et ex universo pendent argumento, et inter se connexae sunt.

§. 16.

Non sequitur igitur, orationis formae, cui insit *concinnitas*, inesse quoque *simplicitatem*: immo vero *simplicitate caret*, si tam longe quaesita est, ut vulgus hominum aegre ac difficulter intelligat, quomodo singulae partes, et inter se cohaereant, et cum universo argumento. Quod ut plus semel se prodit, ubi, missa concione, auditores mentis defatigationem queruntur; sic vulgo simplicitatis indicium satis manifestum est, si illi omnia tam plana et expedita fuisse autumant, ut ne ipsi quidem, ad dicendum vocati, aliam orationi formam constituturi fuissent (*).

§. 17.

Haec autem *simplicitas* quin *magni* sit *pendenda*, nemo prudens in dubium vocaverit. Uti enim Oratori ad illud, quod dicere sibi proposuit, sine multo la-

(†) Boers, *Handboek voor jonge Predikanten.* p. 31, 32, thym, l. c. p. 129 sqq. schott, Tom. I. p. 404 sqq.

(*) Quinctil. l. c, Lib. XI. cap. 1. ad finem. maury, l. c. Tom. I. p. 65.

labore memoriae infigendum et concioni fideliter referendum insigniter prodest; sic dici nequit, quantopere ea auditores ad orationem, et bene intelligendam, et cum voluptate accipiendam, et firmiter mente tenendam adjuventur, etiamsi ne ipsi quidem hujus rei causas sibi explicare possint (†).

§. 18.

De forma, universo *orationum Sacrarum* generi induenda, satis nobis dixisse videmur. *Singulae* autem earum *species* hodie ita fere describi solent, ut divisio tripartita (*) vel et quadripartita (§) inducatur. Et plures sane! quam quatuor enumerari possunt species: sed eas, tum perspicuitatis causa, tum propter ipsius rei naturam et indolem, generaliori illi subjicimus divisioni, antiquioribus maxime hujus disciplinae doctoribus usitatae (⸸), ut omnes oratione, vel *Analytica*, vel *Synthetica* contineantur.

§. 19.

Oratio Analytica, nobis judicibus, est, *quae a cer-*

(†) Schott, l. c. bauer, l. c. p. 88.

(*) Moshem. p. 275 sqq. kaiser, p. 48, 49. schott, Tom. II. p. 124, 125. cf. sandbrink, *disquisitio de tribus primariis orationum sacrarum habendarum generibus.* p. 32.

(§) Grotefend, p. 99 sqq. bauer, p. 34, 35.

(⸸) Vide quos excitat sandbrink, p. 37. nec non ostervald, *De l'exercice du ministére Sacré.* p. 37 sqq oelrichs, p. 10 sqq. qui *tripartitam* tamen *divisionem* non omnino improbat. Recentiore autem memoria *bipartitam* quoque secuti sunt ammon, p. 63. et dahl, p. 342, 343.

certo Literarum Sacrarum loco tota pendet; quod cernitur in *Homilia*, tam antiqua quam recentiore; in *oratione Analytica*, *κατ' ἐξοχὴν ita dicta;* atque in *Exercitatione*, quam appellant, *Biblica*, seu *interpretationis Literarum Sacrarum.*

§. 20.

Et *Analytica* quidem *forma orationi constituenda est*, ubi Literarum Sacrarum locus, cujus tractatio oratori praescripta, vel ab eo propter argumenti, de quo dicatur, desiderium libere suscepta est, amplitudine sua postulat, ut per universam orationem regnet interpretatio, aut certe argumentum aliquod data opera persequi vetat: sed magnopere refert, *Homilia*, an alia orationis *Analyticae* specie quis utatur.

§. 21.

Homilia antiqua a certo Literarum Sacrarum loco ita pendet, ut in ejus et interpretatione, et applicatione ad auditorum usum, ab initio ad finem, promiscue versetur. Hanc autem *antiquioris* dicimus *memoriae*, quoniam olim, qui rerum Divinarum caussa pro concione dicebant, hanc plerumque formam orationi suae induerunt; recentiores vero homines eam vulgo spreverunt.

§. 22.

Utique orationibus hujus formae habendis CHRYSOSTOMUS, BASILIUS, AUGUSTINUS aliique (†) insignem quidem

(†) LUTHERUM, CALVINUM multosque eorum aequales *Homi-*

argumenti nusquam immemor esse deprehendatur: quod, licet in loco versetur res diversas continente, fieri tamen potest; si unum illud, in quo multus et assiduus sit, sibi eligit, cetera obiter attingit, cuncta secum mutuo tanquam vinculo quoddam connectit (†). Deinde vero nexum, quo singulae partes conjungantur, faciat arctissimum; ita ut omnes simul argumentum comprehendant et absolvant universae orationis, deinceps et quasi gradatim a minoribus ad majora, quantum per ipsius loci naturam et indolem licet, progredientis. Quod ne auditoribus, ut opus subtilitatis scholasticae, ingratum sit, formam denique orationi indere studeat, quae non ad artis leges elaborata videatur, sed ab ipso Scriptore Sacro commonstrata et accepta (*).

§. 27.

Quotiescunque Orator Sacer his praeceptis obedire,

(†) Reinhard, p. 149.

(*) Leguntur Gisbert, p. 192 sqq. Mosheim. p. 285 sqq. Ammon, p. 64 sqq. Tittmann, p. 108 sqq. 137 sqq. Dahl, p. 345 sqq. Schott, l. c. Grotefend, p. 104 sqq. Bauer, p. 35 sqq. 63 sqq. quorum nonnulli sigillatim ostendere conantur, quid inter loca intersit, quae *rerum gestarum narrationem*, *vaticinationem*, *Parabolam*, aliudve argumentum continent. Ubi autem ab his viris dissentio, haec maxime dissensionis causa esse videtur, quod illi *Homiliam* magis ad morem adhuc usitatum, quam ad leges omni orationi statuendas descripserunt. Quae autem de *Homiliae unitate* jam monueram l. c. p. xii, probarunt censor in libro s. c. *Bijdragen tot de beoef.* etc. Tom. IX. p. 729. et Sandbrink, p. 79. Cf. Schott, Tom. III. p. 191 sqq.

re, et aliam tamen dicendi rationem, quam *Analyticam*, inire nequit; suadendum ei videtur, ut, missa *Homilia*, *oratione* utatur *Analytica*, κατ' ἐξοχὴν *ita dicta*, et sic bipartita, ut priore parte loci Literarum Sacrarum contineatur interpretatio, posteriore ejus applicatio ad auditorum usum.

§. 28.

Nimirum haec orationis forma post Sacrorum instaurationem variis in terris, et praesertim in patriae nostrae regionibus tam usitata esse incepit, ut et multi hujus disciplinae doctores de nulla alia praecepta traderent, et ipsa *Methodus Belgica* appellaretur (†). Recentiore vero memoria in vituperationem adducta est, sed temere et sine causa: nam haud pauca eorum, quae supra ad laudem *Homiliae* diximus, in hanc etiam formam omnino vel magna ex parte quadrant: uti et sibi proprium habet, quod quae in Literarum Sacrarum loco, de quo dicendum est, ad emendationem et consolationem animorum dispersa jacent, ex ipso illo loco colligit et coagmentat.

§. 29.

Quae supra monuimus, ne *unio*, *concinno* et *simplici*, quae virtutes in omni oratione Sacra requiruntur, *Ho-*

(†) Cf. praeter nostrates excitatos a SANDBRINK, p. 37, PERKINS, in Tractatu *de sacra et unica ratione concionandi.* p. 89 sqq.

Homilia careret, ad *hanc* quoque *orationem Analyticam* accommodari debent: ut prior igitur et posterior pars, universe spectata, ad idem argumentum pertineat; et utraque, ordine bene constituto nec non pari, quantum fieri potest, passu procedens, magis magisque pondere crescat; et omnis tamen orationis series ex ipsius Scriptoris Sacri tanquam mente fluat.

§. 30.

Si autem loci Literarum Sacrarum, qui nullam orationis partitionem admittit, et *Analyticum* tamen dicendi genus exigit, prae manibus est tractatio; nihil aliud oratori restat quam *Exercitatio Biblica*, vel *interpretationis Literarum Sacrarum*, quae, uti ab orationibus supra laudatis caute distingui debet, ita duobus constat uno eodemque tenore propositis, *longioris* cujusdam *loci explicatione* et *brevi* ejus *applicatione* ad auditorum usum, explicationi passim interjecta: neque igitur ab *Homilia* differt *antiqua*, praeterquam quod omnia aliena ab ea amoventur (†).

§. 31.

Sed quamvis haec orationis forma et multo melior, quam *Homilia* antiqua, et iis praedita est virtutibus, quas omnis oratio *Analytica* possidet; incommoda tamen habet, ab utroque dicendi genere, quod supra laudavimus, remota: videlicet incompo-

si-

(†) Cf. *Bijdragen tot de beoef.* etc Tom. VII. p. 415 sqq. 617 sqq.

sita rerum diversarum multitudine auditorum et mentem distrahi, et memoriam fatigari: deficiente et orationis partitione, et omni opportuna transitione, identidem respirandi animique redintegrandi loca iis negari: quae ad pectora pietatis et virtutis studio implenda et solatio erigenda requirantur, multo levius, quam par est, tractari: quibus accedit, huic *Exercitationi*, cum *forma* ei desit *orationis*, hoc orationis titulo vix aut ne vix quidem insigniri posse (†).

§. 32.

Itaque nemo non intelligit, *Exercitationem*, quam dicunt, *Biblicam* non admittendam esse, ubi locus vel *Homiliae* pateat, vel *orationi Analyticae*, κατ' ἐξοχὴν *ita dictae*. Si vero, utram sibi eligere velit, optio oratori datur, varietatis quidem ratio habenda est; sed plurimum tamen huic illam praeferendam esse, ex supra disputatis sequitur.

§. 33.

Quin etiam tanti, nisi fallimur, *Homilia* ab Oratore Sacro pendenda est, ut usum ejus non differat, donec necessitatis causa eo adstringatur; sed hoc di-

cen-

(†) Quae ad *Exercitationes Biblicas* Oratoribus Sacris commendandas prima fronte monere videtur HERINGA, in libro lectu digno: *Tiental Bijbeloefeningen in Leerredenen.* Praef. p. 5 sqq. multo minus ad hujus generis, quam ad *orationum* spectant commendationem, *quae* κατ' ἐξοχὴν *Analyticae dicuntur*: uti et orationum ab eo editarum docet forma, et ex ipso jam libri titulo apparet.

cendi genus, Literarum Sacrarum loco, qui ei accommodatus sit, sibi quaesito, identidem sponte suscipiat! Quod tamen, ut utilitati aeque ac varietati consulatur, ab oratore illo, etiamsi argumentum, de quo tempori convenienter dicatur, ei desit, cum oratione *Synthetica* assidue permutari necesse est (†).

§. 34.

Orationem Syntheticam dicimus, *quae ab argumento pendet, quod orator, vel ex certo Literarum Sacrarum loco eruit, vel ei ex ingenio suo subjicit.* Haec autem, quamvis nonnullis orationis *Analyticae* haud raro caret virtutibus, alias tamen, quibus ei antecellat, ex suâ affert natura et indole: nam, uti illa, quae omnis orationis formae inesse debent, *unum*, *concinnum* et *simplex*, in hanc magis quadrant, quam in alteram; sic ea opportunitatem praebet et copiam data opera exponendi, quae ad religionis Christianae et doctrinam, et historiam pertinent (*).

§. 35.

Atque *Synthetico* dicendi genere utendum est, si Ora-

(†) Cf. Cap. I. §. 37, 51.

(*) Schott, Tom. II. p. 126 sqq. Ceterum, qui cum Theremio, p. 142, orationes Sacras in *Homilias*, et *eas, quae certis rerum casibus et eventis debentur*, dividunt, minus animadvertere videntur, oratorem, ad dicendum de his *casibus et eventis*, *Analytica* forma aeque ac *Synthetica* uti posse.

Orator Literarum Sacrarum locum tractare debet, cujus interpretatio tantae esse nequit amplitudinis, ut per universam orationem regnet, vel priorem orationis partem occupet: deinde si locus oratori praescriptus argumentum continet, quod ipsi nec silentio praeterire licet, nec tamen conjuncte cum verborum interpretatione, aut eorum applicatione ad auditorum usum proponere: denique si ipse orator a nullo loco pendet, sed ad argumentum, cujus tractationem ab utroque illo interpretandi et applicandi negotio sejungere oporteat, aggrediendum animo suo impellitur.

§. 36.

Jam vero *triplex* esse potest *forma*, quae *orationi Syntheticae* induatur; prout *ex verbis* alicujus Scriptoris Sacri, vel *copiose explicatis*, vel *breviter illustratis*, vel *ad aliud quid translatis* pendet argumentum.

§. 37.

Prima classis, in qua *ex verbis Scriptoris alicujus Sacri copiose explicatis* argumentum pendet, ceteris longe praeferenda est: siquidem, uti huic orationi *Syntheticae*, sine ullo virtutum suarum detrimento, haud pauca impertiuntur, quae orationi *Analyticae* commendationi sunt; ita gratia ei accedit varietatis, quam concursu suo *Analysis* et *Synthesis* faciunt (†).

§. 38.

(†) Sandbrink, l. c. p. 90.

§. 38.

Oratorem igitur Sacrum, quoties argumentum aliquod sibi data opera tractandum videatur, neque ejus amplitudine tamen impediatur, quominus partem aliquam Literarum Sacrarum diligenter exponat, hinc dignum, a cujus interpretatione argumenti sui tractationem incipiat, sibi locum quaerere, aut in loco sibi praescripto, nisi forte facilior est, interpretis munere fungi oportet.

§. 39.

Ad orationem autem hujus formae bene elaborandam *plus una cautione* opus est: ne nempe in orationis parte, interpretationi Literarum Sacrarum constituta, aut negotium illud interpretandi tantummodo inchoetur, aut argumentum infra tractandum anticipetur: deinde ne quis, interpretatione absoluta, sedulitatem ponat in dicendo de rebus, quae in loco lustrato obiter tantum attinguntur, vel nullo modo reperiuntur.

§. 40.

Reprehendi quoque merentur, qui hujus formae orationem habent, ubi de Literarum Sacrarum loco dicendum est, vel satis claro et lucido, vel quem ad illustrandum brevis quaedam sufficit vocum nonnullarum aut sententiarum explicatio; item ubi uberior quaevis interpretatio, licet concioni utilis esse posse, et in ipsius oratoris personam quadrare videatur, tempori ta-

tamen non convenit (†). Quae si ita sunt, *oratione utendum est, cujus argumentum ex alicujus Scriptoris Sacri pendeat verbis breviter illustratis.*

§. 41.

Ad Scriptoris Sacri *verba breviter illustranda*, vel *in exordio*, vel *in transitione* ita dicta spatium satis amplum est: ubi igitur orator verbis illis *Paraphrasin*, seu circumlocutionem subjiciat, vel orationem iis contextam tanquam digito attingat, vel quidquid obscuritatis aut ambiguitatis superest brevi interpretatione tollat. Interdum vero jam satis est Literarum Sacrarum locum, ex quo argumentum pendet, uno alteroque verbo ei interjecto, clara et distincta voce recitare.

§. 42.

Quamvis autem haec altera orationis *Syntheticae* forma *unitatis* cum *concinnitate* et *simplicitate* conjunctae capacissima, et ad convenienter tempori dicendum accommodatissima est (*); sedulo tamen admonendi sunt Oratores Sacri, ne in more multorum hujus aetatis hominum sequendo sibi nimis placentes, vel laboris sibi compendium facere volentes, formam illam temere frequentent (§).

§. 43.

(†) Cap. I. §. 26.
(*) SANDBRINK, l. c. p. 74 sqq.
(§) Vide quos excitavimus cap. I. §. 62. Quibuscum conferatur REINHARD, *Opuscula Academ.* Vol. I. p. 195 sq.

§. 43.

Sed si hoc jam in genere multi peccant, gravissima sine dubio quaestio est, num oratione uti liceat *Synthetica*, *cujus argumentum pendeat ex alicujus Scriptoris Sacri verbis*, *ad aliud quid translatis*: quae translatio duplici modo fieri potest: vel sensu Literarum Sacrarum fideliter quidem retinendo, sed ad rem alienam accommodando; vel figurata verborum interpretatione propriae subjicienda, aut in ejus locum substituenda.

§. 44.

Et hoc sane, utpote et auditores a vatum Divinorum mente avertens, et, ut omnis docet historia, religionis Christianae depravationi ansam praebens, et ipsi denique orationi Literarum Sacrarum auctoritatem praeripiens, longissime, nisi fallimur, arcendum est: illud vero concedendum, quin etiam suadendum esse putamus Oratori, si locum forte tractare debet, inopia rerum, quae auditoribus prodesse possunt, laborantem (†); deinde, si temporis ratio postulat, ut de argumento dicatur, quod Literae Sacrae nusquam attingunt; denique si certis, ad quae quotannis revertatur, locis ei constitutis, alterutrum eligendum est, perpetua earumdem rerum et ingrata repetitio, aut lenis a mente Scriptoris Sacris discessio.

§. 45.

(†) Egregium exemplum praebet REINHARD, *Lettres* etc. p. 139.

§. 45.

Verumtamen, uti Oratori Sacro minus frequenter accidit, ut difficultatibus illis implicetur; ita sibi strenue et religiose ab hujusmodi oratione *Synthetica* cavere debet, quamdiu, aut loci ipsi praescripti sensus dignum, quod concioni proponatur et identidem repetatur, suppeditat argumentum; aut, (si ei materiae sibi eligendae potestas est) vel unus in Literis Sacris reperiri posse videtur locus, quocum orationis argumentum sive omnino, seu ex parte conveniat (†).

CAPUT III.

De Orationis Sacrae partibus.

§. 1.

Eleganter PLATO (*) omnem orationem, tanquam animal, constituendum esse monet, ut suum quoddam habeat corpus, quod nec sine capite, nec sine pedibus sit, sed media habeat et extrema, sibi invicem consentanea et toti convenientia. Quae cum admonitio ad *orationem* quoque *Sacram* spectet, consi-

(†) De hac ceterisque orationibus *Syntheticis*, praeter scriptores supra laudatos, legantur inprimis HOLLEBEEK, p. 71 sqq. TITTMANN, p. 76 sqq. BAUER, p. 37 sqq. 51 sqq.

(*) *Phaedro*, p. 264.

siderandae sunt ejus *partes*, quibus in decernendis recentiores homines veterum Rhetoricorum vestigia secuti sunt.

§. 2.

Sed uti Veteres hac de re inter se non consenserunt, cum orationem nunc in plures, nunc in pauciores partes dividerent (†); sic inter se non omnino consentiunt recentiores homines (*): quae discordia partim vanae verborum captationi, partim rerum et similium separationi et dissimilium confusioni, partim denique ipsarum, quas Rhetorici in mente habebant, causarum diversitati tribuenda esse videtur.

§. 3.

Quidquid hujus rei est, sine dubio falluntur, qui eodem partium numero, quo haud paucae orationes distinguantur, omnes alligandas esse censent (§): at

(†) Quinque orationi partes tribuerunt CICER. *de Orat.* Lib. II. cap. 76. QUINCT. Lib. III. cap. 9. Et eandem rationem veteres vulgo iniisse, monuit KAISER, l. c. p. 177 sqq. Sed legantur ARISTOT. *Rhet.* Lib. III. cap. 13. qui duas, *Propositionem et Confirmationem*, tantum necessarias esse dixit, DIONYS. *Halic.* l. c. p. 62, 63 et CICER. *Part. Orat.* cap. 1: ubi non plures quam quatuor recensentur. Sex vero partes enumerat *auct. Rhetor. ad Herenn.* Lib. I. cap. 3. et ipse CICER. *de invent.* Lib. I. cap. 14. Quod hunc tamen juvenili aetate scripsisse, omnibus notum est.

(*) Praeter ERASM. p. 851. MELANCHTHON, p. 7, 8. HYPERIUM, p. 60. VAN D'ER WAYEN, p. 30. aliosque antiquiores, vide BLAIR, p. 266. TITTMANN, p. 215. DAHL, p. 227. et SCHOTT, Tom. III. p. 12, 13.

(§) AGRICOLA, l. c. FABER, *Totius artis oratoriae enchiridium.* p. 30 sqq. VOSSIUS, l. c. Lib. III. cap. 1.

at hic nullam tamen partem, quae in aliqua oratione bene composita reperiri potest, silentio praetermittere licet.

§. 4.

Jam vero omnis quidem oratio his tribus absolvitur, *principio*, *progressu*, *conclusione* (†); sed cum hoc in loco ita versandum sit, ut materiae et formae pariter habeamus rationem, quinque ei partes constituendae videntur: *Exordium*, *Propositio*, *Partitio*, *Tractatio*, *Peroratio*. Atque hae nunc deinceps recensendae sunt.

§. 5.

Exordium dicimus oratiunculam orationi praemissam, ut homines ad audiendum praeparentur. Quod ad dicendum pro congregata hominum multitudine translatum est ex vita communi, ubi vulgo a sermone, nunc longiore, nunc breviore incipiunt, quo rogationibus; admonitionibus, reprehensionibus suis *benevolas*, *attentas*, *dociles*que sibi concilient *aures* (*). Hoc autem triplici consilio oratores etiam exordio uti, Rhetorici nobis tradunt et veteres et recentiores (§).

§. 6.

Qui orationem Sacram *exordio*, salva sua bonitate,

(†) Cff. TITTMANN, p. 215. SCHOTT, p. 8 sqq.
(*) BLAIR, p. 267. FROSSARD, p. XLVI sq.
(§) DIONYS. *Halic.* p. 89, et quos excitat SCHOTT, p. 17 sqq.

te, *carere* posse contendunt, *brevi* tamen *praefatione* utendum esse statuunt (†), atque igitur reapse concedunt, quod negare videntur; vel, orationi praesertim *Analyticae* exordium minus necessarium esse opinantes, huic dicendi generi pretium illud, quod supra ei vindicavimus, quodammodo detrahunt (*); vel in vulgo hominum, qui ad concionem Sacram congregantur, aestimando delinquunt (§).

§. 7.

Videlicet bene animadvertendum est, orationis Sacrae *materiam* novitatis gratia plerumque carere; a rebus, quibus vulgus hominum delectari soleat, multum differre; perversis eorum opinionibus et cupiditatibus opponi; et omnino talem esse, ut auditorum certe haud pauci ad benevolentiam, attentionem et docilitatem praeparandi sint (┼).

§. 8.

Quamvis autem fieri posse fatemur, ut oratori pro concione dicturo nihil in mentem veniat, a quo dicen-

(†) Erasmus, p. 869. Jacobi, p. 141, 142. Kaiser, p. 181. Cf. Dahl, p. 238.

(*) Moshem. p. 236. Schott, p. 47. Cf. Theremin, l. c. p. 77 sqq.

(§) Hyperius, p. 73, 74. Ostervald, p. 102, 103. Blair, p. 269. Bauer, p. 60.

(┼) Omnia alia contendit Roques, *Le Pasteur Evangélique*. p. 390 sqq. sed cff. Schott, p. 15 sqq. inprimis Grotefend, p. 121 sqq.

cendi initium capiatur: virum tamen paulo intelligentiorem haud ita crebro hac in inopia versari, ex rerum apparet multitudine, quas hujus disciplinae doctores exordio argumentum praebere ostenderunt (†). Ubi vero quis inopia illa pressus, orationem habet sine exordio; haec quidem multis nominibus laudanda esse potest, sed partem, quae ad perfectionem requiratur, ei omnino deesse judicamus.

§. 9.

Nequidquam ad orationes provocatur, quas CHRYSOSTOMUS aliique viri eloquentissimi sine exordio habuerunt (*). *Patribus* enim, quos vocant, *Ecclesiasticis*, cum illi saepissime ad dicendum imparati in concionem venerint, neque etiam diligentiae, qua veteres artem oratoriam excoluissent, omne suum pretium statuerint, multae debentur orationes, variis quidem eloquentiae luminibus splendentes, sed quibus forma tam rudis inest et imperfecta, ut ad imitationem proponi non mereatur (§). Et quamvis hominum recentioris aetatis auctoritas, quoad orationis formam, majoris facienda est, ne haec quidem probandi vim habet, nisi ei argumentorum accedit pondus.

§. 10.

(†) AMMON, p. 195 sqq. TITTMANN, p. 216, 217. DAHL, p. 235 sqq. SCHOTT, p. 32 sqq.

(*) HYPERIUS, p. 73. SCHOTT, p. 15.

(§) Cap. II. §. 22.

§. 10.

Quid plura? Quemadmodum aedibus ac templis vestibula et aditus, sic orationibus Sacris principia praeponere oportet (†): atque hoc tantum valet, ut, qui sine exordio dicere aggreditur, negligentiae, inhumanitatis vel stuporis sibi pariat suspicionem, qua orationis vis et efficacitas in animos auditorum vehementer labefactantur (*).

§. 11.

Praestantissimum ceteris paribus videtur esse exordium, cujus argumentum *ex rebus* petitur, *quae auditoribus tanquam circumjectae sunt, eorumque animis maxime obversantur:* ita ut orator nunc incipiat a commemoranda felici vel infelici dierum suorum conditione; nunc ab insigni quodam antiquioris vel recentioris aetatis eventu, si laetior est, praedicando, si tristior, deplorando; nunc a dicendo de anni hora vel coeli tempestate, vel de solennibus, quorum celebratio, reipublicae aut societatis Christianae causa, instituenda sit; nunc rursus ab iis, quae nuper a se aliisve in medium prolata sunt, vel quae ipsi modo cantarunt auditores, eorum in memoriam revocandis (§).

§. 12.

(†) Cicer. *de Orat.* Lib. II. cap. 79.

(*) Quod non prorsus fugit blairium, l. c.

(§) Van der waeyen, p. 119. schott, p. 20 sqq. et quae monuimus cap. I. §. 32 sqq.

§. 12.

Profecto quemlibet paulo sapientiorem, ubi in vita communi aures hominum sibi conciliare velit, sermonem, a quo incipiat, ex propinquo, non ex longinquo petere novimus. Quos cum imitatur Orator Sacer, si res modo dictas orationi praemittit; tum vero exordio utitur, cujus argumento non solum nihil magis populare et auditoribus omnis generis ordinisque accommodatum est, sed concio etiam, supra quam dici potest, ad audiendum acuitur, in oratorem propensa efficitur, et jam ab initio ad recti et honesti studium impellitur. Quare mirandum non est, DEMOSTHENEM, CICERONEM aliosque eorum aemulos ita orationes suas exorsos, eorumque vestigia haud raro secutos esse oratores nominis Christiani, quotquot ab antiquo dicendi laude florerent (†).

§. 13.

Sed negare nolumus, Graecis et Romanis, qui de rebus sui temporis civilibus dicerent, multo majorem hujusmodi argumentorum fuisse copiam, quam Oratoribus Sacris dari soleat, et iis quidem praesertim, qui crebro ad dicendum pro concione vocentur: quibus igitur, si nihil hujus generis, quod persona sua satis dignum sit, invenire possunt, haud dubie suadendum est, ut vel *a proverbio* quodam celebrato, vel a *sententia* sapientis alicujus viri, vel ab

(†) HERMOG. *de invent.* Lib. I. cap. 4.

ab *experientiae* quotidianae *testimonio*, nemini facile incognito, initium ducant.

§. 14.

Animadvertendum vero videtur, exordiis hujus argumenti haud raro, et plus artis quaesitae, et minus eloquentiae nativae inesse, quam supra commendatis: deinde oratores, qui hujusmodi exordiis delectentur, satis crebro per *loca* illa vagari *communia*, quae quovis tempore orationibus eodem jure praemitti possint. Quod qui faciunt, etiamsi, *Phantasia* hominum splendidis imaginibus alenda, multorum admirationem moveant, saepissime tamen auditores hanc in opinionem inducunt, non suam, sed alienam rem agi, eorumque animis pro calore, tanquam solis hiberni, frigus injiciunt (†).

§. 15.

Majores nostri exordium plerumque duxerunt *a quodam* Literarum Sacrarum *loco* explicando: sed quoniam ineptum erat, interpretationi interpretando praefari, mos ille haud sine causa in desuetudinem fere abiit (*): neque tamen memorabilis alicujus loci, qui cum Scriptoris Sacri verbis data opera tractandis conspiret, ab initio recitandi ratio, multis adhuc usitata, ubi praesto non est argumentum magis commodum, improbanda videtur (§).

§. 16.

(†) Van hengel, p. XIV sqq. Cff. blair, p. 282, 283, maury, Tom. I. p. 75 sqq. schott, p. 59.

(*) Dahl, p. 239.

(§) Schott, p. 46. grotefend, p. 125, 126.

§. 16.

Quidquid vero argumentum est, a quo exordiatur Orator, *primum* sedulo curandum est, ut illud a causa, quae agitur, non separatum sit; sed vel ex hac ipsa causa penitus effloruisse, vel certe ad eam aptissime ducere deprehendatur: quam in regulam, quamvis se ipsa tuetur, peccarunt CHRYSOSTOMUS aliique veteres, ita dicere incipientes, ut exordium cum oratione nullo modo cohaereret (†).

§. 17.

Altera regula est, exordio constituendum esse argumentum, quo homines quidem ad audiendum praeparentur, sed neutiquam occupentur, quae postea demum tractanda sunt: quod qui committunt, ipsum haud raro exordium rebus adhuc obscuris involvunt; in oratione vero, vel ante jam dicta repetere, vel, ut ingrata illa evitetur repetitio, necessaria omittere coguntur (*).

§. 18.

Tertio, cum exordii argumentum appositum esse debeat ad hominum aures orationi revera conciliandas, a rebus perspicuitate et gravitate sua insignibus incipiendum et deinceps progrediendum est, do-

(†) DIONYS. *Hal.* l. c. p. 63. CICERO, *de orat.* Lib. II. cap. 78. ERASMUS, p. 871, 872. BLAIR, p. 272, 273. SCHOTT, p. 49 sqq.

(*) BLAIR, l. c. p. 280. GROTEFEND, l. c. p. 126 sqq. SCHOTT, p. 52 sqq.

donec auditoribus luculenter appareat, causam magni ponderis dictum iri: quod si orator, principio a rebus obscurioribus vel levioribus sumendo, dubium vel facit, vel relinquit auditoribus, horum aures certissime a se avertit (†).

§. 19.

His tribus *quarto* adjicimus, orationem ab initio esse debere puram, nitidam, bene limatam, atque igitur cautionem esse adhibendam, ne quod insolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obsoleta vetustate, aut a poëtica licentia sumtum in principio deprehendatur: nondum enim recepti sumus, et custodit nos recens audientium intentio; magis conciliatis animis, et jam calentibus, haec libertas feretur. Verbis utimur Veterum, a QUINCTILIANO (*) probatis: quamvis bene novimus, Oratorem Sacrum, antequam dicat, auditores vulgo habere sibi magis jam conciliatos, quam alii, et olim habuerint, et habeant etiamnum oratores, pro populo, vel in senatu, vel coram judicibus dicentes.

§. 20.

Ne hoc vero ita intelligatur, ac si ab initio oratione utendum sit multis luminibus distincta et exornata, *quinto* notamus, splendoris, et festivitatis, et con-

(†) CIC. *De invent.* Lib. I. cap. 18. GROTEFEND, p. 124, 125. BAUER, p. 59.

(*) *Instit. Orat.* Lib. IV. cap. 1. Cff. BLAIR, p. 275. SCHOTT, p. 60.

concinnitatis minimum ei inesse debere: quae CICERONIS (†) admonitio Oratori quidem Sacro scribenda non est, ne suspicio quaedam apparationis atque artificiosae diligentiae nascatur, sed ne verborum magnificentia animorum attentionem ab oratione abstrahat, et in ipsum oratorem ducat.

§. 21.

Sequitur regula *sexta*, in exordio nempe, ubi regnum suum multo magis habent τὰ ἤθη, quam τὰ πάθη, lente et sedate dicendum esse (*). Quod adeo quidem urgere nolumus, ut semel iterumque morem vulgo receptum deserere, animiqne gaudio vel dolore pleni, sensus et affectiones, ut fluminis rapidi aquas, effundere vetemus; cujus generis exordia plane egregia in veterum et recentiorum oratorum libris reperiuntur (§): sed nec frequenter, neque in levi aut vulgari causa sic incipiendum est, nec nisi quis bene sibi persuasum habet, se rem suam eodem, quo eam aggressus sit, mentis ardore ad finem usque persequi posse.

§. 22.

Septimo denique in Oratoris Sacri exordio requiritur modestia, qua sibi diligenter caveat, ne plura au-

(†) *De invent.* l. c. cf. DAHL, p. 238, 239.

(*) CICER. *de Orat.* l. c. DIETERICUS *Instit. Orat.* p. 26. SCHOTT, p. 27, 28.

(§) QUINCTIL. l. c. BLAIR, p. 276 sqq.

auditoribus polliceatur, quam pudor ferat, vel ipse praestare queat: quod vanum prodit et confidentem hominem (†). Haec vero modestia modum superat, si quis multum de ingenii sui loquitur mediocritate; aut veniam errorum, quos commissurus sit, a concione precatur; aut longius auditores rogat, et vel obsecrat, ut sibi dicenti aures praebeant attentas: non enim suo nomine Orator Sacer pro concione dicit, sed nomine Dei, qui spem fecit fore, ut huic suo ministro, dummodo hic ipse nihil temere ausit vel neglexerit, omnia prospere et optato succedant (*).

§. 23.

Praeterea Rhetorici oratori interdicere solent, ne *longiore*, quam par est, *exordio* utatur: nec sine causa; quoniam exordium longius animorum, si minus benevolentiam, certe attentionem et docilitatem aufert (§). Sed quid hujus notae sit, commonstrandum est exemplis (††).

§. 24.

(†) Legantur QUINCTIL., l. c. BLAIR, p. 75. SCHOTT, p. 40, 41.

(*) AMMON, p. 200. THEREMIN, p. 78. Ceterum de regulis exordio statuendis jam lectu digna scripserunt MOSHEM. p. 242 sqq. aliique antiquioris memoriae viri.

(§) Vide QUINCT. l. c. SCHOTT, p. 54, 55. et BAUER, p. 59, 60.

(††) Vult AMMON, p. 199, ut exordium neque infra duodecimam, nec supra octavam orationis partem in se contineat. Cf. GROTEFEND, p. 126. Sed hoc tamen omnino valere, minus certum esse videtur.

§. 24.

Varia autem exordiorum distinctione, quae olim in usu fuit (†), jam diu obsoleta, quaestio adhuc restat, *ab uno* tantum *exordio*, *an a duobus*, altero propiore, altero remotiore incipiendum sit; sed promptum et paratum est, quod ad eam respondeatur: nam ubi duo reperiuntur exordia, non aliter fieri potest, quin vel utrumque ad auditores benevolos, attentos docilesque faciendos minus valeat, vel alterum ad id comparatum sit, alterum plane supervacaneum.

§. 25.

Paulo difficilior quaestio est, *utrum exordium lectionem loci* Literarum Sacrarum, de quo dicendum sit, *an haec illud praecedere debeat.* Nostro quidem judicio exordium, ubi tota Oratoris actio non a voto breviore, sed a precatione longiore initium capit, lectionem illam commode sequitur: ubi vero inter votum brevius et precationem longiorem nonnulla auditoribus dici solent, nihil sane naturae convenientius est, quam praecedere exordium (*). Potestate autem pro lubitu agendi Oratori Sacro data, hoc illi praeferendum videtur, ut auditorum animi tam ad precationem cum Oratore faciendam, quam ad ipsam orationem audiendam praeparentur.

§. 26.

(†) Moshem. p. 237, 233. Ammon, p. 198.
(*) Schott, p. 45, 46. Grotefend, p. 131.

§. 26.

Si quando exordium loci Literarum Sacrarum lectionem sequitur, illud ita institui debet, ut commoda *transitione* ad argumenti propositionem ducat. Ubi vero initium dicendi ab exordio sumitur, argumentum continuo auditoribus post precationem locique lectionem proponendum est (†); nisi quaedam ipsius loci interpretatio, vel orationis contextae enarratio huic negotio, seorsum ab exordio, praemittenda sit (*): quod tamen, et saepe supervacaneum esse, et quam brevissime fieri oportere, multos minus meminisse apparet (§).

§. 27.

Quod CICERO (††) monet, tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum esse, quo principio sit utendum, sine dubio regula est diligenter ab Oratore Sacro observanda, ne exordium faciat, vel orationi minus congruens, vel argumenti in ea tractandi partem occupans (**): sed quod volunt nonnulli (§§), ut *exordii elaboratio differatur, donec to-*

(†) DAHL, p. 240. et praeter alios SCHOTT, p. 56 sqq. 87 sqq.

(*) Cap. II. §. 41.

(§) OSTERVALD, p. 105, 106.

(††) *De Orat.* l. c.

(**) QUINCTIL. l. c. ad finem. BLAIR, p. 273 sqq. DAHL, p. 239, 240. SCHOTT, p. 56, 57.

(§§) OSTERVALD, p. 103. VAN DER WAEYEN, p. 116, 117. MOSHEM. p. 241, 242. AMMON, p. 201.

tota perscripta sit oratio, et rei naturae minus consentaneum est, et falsa nititur opinione, procliviores esse homines ad praepostere occupanda, quae in ipsa oratione, quam quae in exordio ejus dicenda sint.

§. 28.

Exordium vel lectionem loci Literarum Sacrarum, qui tractandus est, interjecta vel non interjecta *transitione*, sequitur *argumenti propositio*, quam ab ipso *argumento* caute distingui debere monendum est, quia nonnulli utrumque inter se confundunt, aut certe de alterutro ita loquuntur, ut confusioni ansa praebeatur (†).

§. 29.

Argumentum rerum Sacrarum et quidem Christianarum *summa* est, quam orationi bene constitutae, tam *Analyticae*, quam *Syntheticae* ita inesse debere vidimus, ut per omnes ejus regnet partes. In hac autem rerum summa cum auditoribus communicanda cernitur *propositio* (*), quam et *per se bonam* esse oportet, et *ad leges orationi Sacrae positas conformatam*.

§. 30.

Propositionem *per se bonam* dicimus, quae argumen-

(†) TITTMANN, p. 110, 111.

(*) *Rhet. ad Herenn.* Lib. II. cap. 18. cff. quos excitat SCHOTT, p. 79, 80.

mentum verbis proprie accipiendis, distinctis, vulgo usitatis, et quam paucissimis declarat. Atque his notis propositionem per se bonam ab omni alia discerni, viri docti satis superque ostenderunt (†). Monendum tantum, si digna quaedam sit Literarum Sacrarum *Allegoria*, quam universa persequatur oratio, propositionem quoque eam continentem nullo jure reprehendi (*).

§. 31.

Ad leges orationi Sacrae positas conformata propositio est, si ita se habet, ut *unitas*, *concinnitas* et *simplicitas*, quae per omnes orationis illius partes regnare debent, *argumenti* quoque *tractationi* inesse possint: unde necesse esse sequitur, ut ea et universo orationis argumento conveniat, nec plura habens nec pauciora, quam illo contineantur; et omnes ejus partes, ne excepta quidem, quae in multis orationibus *Syntheticis* Literarum Sacrarum interpretationi statuta est (§), una comprehendat; et hujusmodi denique instructa sit *dividendi fundamento*, ut *partitionis* jam sensus quidam et quasi odor auditoribus praebeatur (††).

§. 32.

(†) Grotefend, p. 64 sqq. schott, p. 81 sqq. alii, quibus praeivit quinct. Lib. IV. cap. 5.

(*) Schott, p. 85 sqq.

(§) Cap. II. §. 37.

(††) Grotefend et schott, ll. cc. bauer, p. 51 sqq.

§. 32.

Propositioni Oratores nunc *sententiae* probandae, nunc *quaestionis* judicandae, ejusque vel rectae, vel obliquae, nunc *aliam* induunt *formam*, prouti aut sibi placet, aut argumentum postulat: sed, quoniam ab hac forma omnino pendet orationis partitio, magni ponderis est, in ejus constitutione prudenter versari (†).

§. 33.

Sunt quidem viri docti, qui argumentum, ante causae ingressum, auditoribus non proponendum esse, vel hanc propositionem ab haud paucis vel nonnullis certe orationibus sine damno abesse posse contendant (*): sed uti nullam nobis fingere possumus orationem, concioni Sacrae accommodatam, quae propositionem non in fronte ferat; sic oratio, quae hac tanquam luce caret, ab auditoribus longe plurimis minus intelligitur, aut, licet quodammodo intelligatur, subito tamen, postquam ad consueta hujus vitae negotia redierunt, eorum excidit memoria (§).

§. 34.

Pervenimus ad orationis *partitionem*, quae cum ar-

(†) GROTEFEND, p. 69. SCHOTT, p. 113. Cf. DAHL. p. 221.

(*) BAUER, p. 52, 53. SCHOTT, p. 80 sqq. et qui ab eo laudantur.

(§) MELANCHTHON, p. 32. MAURY, Tom. I. p. 64. DAHL, p. 220 et quos infra excitabimus §. 46.

argumenti propositione hoc commune habet, quod verbis contineri debet proprie accipiendis, distinctis, vulgo usitatis, et quam paucissimis (†): quemadmodum et ea, aeque ac propositio, ita instituenda est, ut *unitati*, *concinnitati*, *simplicitati* consulatur.

§. 35.

Sed ne quis *unitatis*, *concinnitatis* et *simplicitatis* immemor sit, *certis* adstringitur *legibus*, quae *partitionis* propriae, eique tum *sua ipsius*, tum *propositionis praecedentis*, tum *tractationis sequentis causa* scriptae sunt, et quibus oratorem parere oportet, nulla aut moris alicujus late regnantis, aut placitorum scholae cujusdam, aut opinionum vulgi ratione habita.

§. 36.

Leges, quae partitioni *sua ipsius causa scriptae* sunt, oratio Sacra communes habet cum omni alia scriptione, in partes distribuenda. Hae autem sibi volunt, ut singulae partes a se mutuo reapse differant, et quae sui juris non sunt, finibus suis excludant: ut integrae partes, saltu a generibus ad species qualicunque amoto, sibi mutuo respondeant: ut omnes inter se, quoad ejus fieri potest, quadam structurae aequalitate concinant (*).

§. 37.

(†) Osterwald, p. 110. Blair, p. 288, 289. aliique. Cff. quos excitavimus §. 30.

(*) Blair, p. 287, 283. Grotefend, p. 87 sqq. Schott, p. 110 sqq.

§. 37.

Leges, propositionis causa positae partitionem sic facere jubent, ut et pars quaevis partem ipsius propositionis contineat, et cunctae simul omne, quod ei inest, comprehendant; nulla vero earum aut integram absolvat propositionem, aut in se admittat, quod sibi non adjiciendum, sed subjiciendum sit (†).

§. 38.

Tractationis sequentis causa in partitione facienda id agendum est, ut pars quaevis posteriori, quo melius haec intelligatur, praeluceat; rerum explicatio ad demonstrationem, demonstratio ad animorum inflammationem ducat; et tota oratio ad hominibus persuadendum, ut vere Christiani sint, perpetuo, et, si pote, gradatim procedat (*).

§. 39.

Jam harum quidem legum observationem faciliorem esse in orationis *Syntheticae*, quam *Analyticae* partitione, ex utriusque natura et indole sequitur: at oratorem tamen, in *Analytico* dicendi genere

(†) DAHL, p. 214. GROTEFEND, p. 84 sqq. SCHOTT, p. 104 sqq.

(*) BLAIR, p. 288. TZSCHIRNER, *Briefe veranlaszt durch* REINHARDS *Geständnisse*, p. 208. GROTEFEND, p. 92 sqq. SCHOTT, p. 131 sqq. Cf. BAUER, p. 56. Ceterum de *Partitione* haud pauca jam bene scripta reperiuntur apud VAN DER WAEYEN, p. 44 sqq. MOSHEM. p. 275 sqq. aliosque antiquioris memoriae.

re versantem, omnem animi vim, ut eas quovis meliori modo exsequatur, intendere debere, nobis persuasissimum est (†).

§. 40.

Ad quaestionem, quot partes orationi Sacrae inesse debeant, nonnulli responderunt ita, ut *Analyticam* bifariam, *Syntheticam* trifariam dividendam esse dicerent (*). Quod ut omnino improbandum est (§); ita cum plerisque hujus disciplinae doctoribus partiendi libertatem oratori relinquimus, hoc unum tamen monentes, qui orationem plusquam tripartitam aut vel quadripartitam faciant, plerumque inter partes collocare, quae iis subjicienda sint, et ipsis haud raro auditoribus confusionem parere (††). Sed legibus supra propositis cautum est, ne quis paulo prudentior a recto tramite avertatur (**).

§. 41.

Partitionis quod attinet *usum*; haud ignoramus quidem eam, cum in Veterum orationibus plerumque frustra quaeratur, ex doctorum maxime Scholasticorum disciplina profectam esse (§§): sed uti vitu-

(†) Cf. Cap. II. §. 26, 29, 31.
(*) Bauer, p. 57, 58. ammon, p. 179.
(§) Cf. §. 31.
(††) Konynenburg, p. 159. tittmann, p. 222 sqq. dahl, p. 215. Cf. schott, p. 148 sqq.
(**) Cf. schott, p. 117 sqq.
(§§) Gisbert, p. 87 sqq. fenelon, p. 92.

tuperanda non sunt omnia, quae his viris debentur, sic veteres a partitione orationis alienos fecerunt causae, quarum vi non amplius impediuntur homines recentiores, de rebus Sacris dicentes: quippe qui nec dedecori sibi fore ducunt, si in orationibus suis laboris ac diligentiae deprehendantur vestigia; neque in concionem prodeunt, ut auditores ad omne illud, quod sibi bonum videatur, statim decernendum et agendum ex inopinato aggrediantur (†).

§. 42.

Uti autem *Patres Ecclesiasticos* raro vel nunquam partitione usos esse concedimus, ita auctoritas eorum nullius ponderis est; quoniam, et, contra leges communi Rhetoricorum consensu orationi statutas, omnem saepe dispositionem neglexerunt, et hac praecipue de causa sine partitione dixerunt, quod vulgo non unum aliquod argumentum data opera tractabant, sed Literarum tantum Sacrarum locum modo a nobis supra descripto (*) explicabant: quo a negotio partitionem alienam esse, ipsi fatentur hujus disciplinae doctores, qui, ut eam minus necessariam esse efficiatur, ad virorum illorum exemplum provocant (§).

§. 43.

(†) Vide QUINCTIL. l. c. et cf. THEREMIN, p. 80.
(*) Cap. II. §. 21, 22.
(§) HYPERIUS, p. 78 sqq. GISBERT, p. 91 sqq. SCHOTT, p. 95, 96.

§. 43.

Quod nonnulli monent, orationem Sacram, cui partitio praemittatur, tanquam catenis alligari, quibus impediatur, quominus in res tempori accommodatas excurrat et omnino libere procedat (†), ex perversa ortum est opinione, orationem in partes divisam digressiones, etiamsi causae conveniant, non admittere (*): et nemo sane eorum partitioni se opponit bonae et ex ipso argumento petitae, sed quidquid illi contra dicunt, ad ejus abusum spectare deprehenditur.

§. 44.

Sit ita quidem, auditorum animos ad veri, pulchri et honesti sensum vehementer commovere posse, qui eos per viam iis occultam a minoribus quasi gradatim ad majora ducat, donec tandem eos, in culmine, quo tetendisset, collocatos, rerum splendore et magnitudine penitus percellat (§); sed valde tamen dubitandum est, num haec animorum commotio homines revera sapientiores, meliores et ad officia sua religiose exsequenda paratiores reddat, nisi claras veri, pulchri et honesti notiones mente perceperint: has autem notiones nec mente percipere, nec memoria etiam retinere posse videntur, nisi eos ad orationem audiendam et deinceps sequendam praeparaverit partitio.

§. 45.

(†) Erasm. p. 874. Gisbert, p. 86. Fenelon, p. 91.
(*) Cap. II. §. 4.
(§) Fenelon, p. 92 sqq. Cf. Grotefend, p. 101 sqq.

§. 45.

Ne quis vero, ad hoc infringendum, aut Veteres oratorum suorum mentem, quamvis nulla adjuvarentur partitione, bene intellexisse, aut recentioribus hominibus orationem, quae ab hac partitione incipiat, vel sic quidem non semper perspectam esse dicat (†); sedulo animadvertendum est, illud nec prorsus verum, neque aliunde profectum esse, quam quod causae agi solerent, de quibus auditores in vita communi secum invicem crebro colloquerentur; ex hoc autem nihil plane sequi, nisi partitionem, aut ipsam minus bonam esse, aut, si vel bona sit, eandem omnibus non afferre utilitatem.

§. 46.

Quibus de causis, quamvis asseverare nolumus, partitionem *omni oratori* necessariam esse (*), *Oratori* tamen *Sacro* lex constituenda videtur, ut, pro concione dicere incipiens, universam orationem ad praeceptorum supra scriptorum normam in partes suas dividat (§): tum quoque, ut priusquam singulas has partes aggrediatur, rerum capita in iis tractanda auditoribus proponat (††).

§. 47.

(†) FENELON, p. 93, 96. SCHOTT, l. c.

(*) SCHOTT, p. 95.

(§) *Partitionis* causam praeter alios data opera tuitus est KIST, *Verhandelingen en redevoeringen over verschillende onderwerpen.* p. 231 sqq. Ceterum legantur ROQUES, p. 401 sqq. MOSHEM. p. 266 sqq. REINHARD, p. 153 sqq. SCHRANT, p. 84 sqq. *Iets over eenige gebreken* etc. p. 68 sqq.

(††) OSTERVALD, p. III. MAURY, Tom. I. p. 217 sqq. GROTEFEND, p. 91.

§. 47.

Sed partitioni limites ponendi sunt. Ut enim boni artificis est, picturam diligenter elaboratam in vulgus proferre, prima vero operis principia ab hominum oculis abscondere; sic orationis etiam lineamenta in umbris latere debent, ipsa vero oratio omnium in conspectum producenda est. Quid? quod agendi ratio, qua singularum partium capita rursus in membra et majora et minora dividuntur, non solum auditori cuivis intelligenti nauseam creat et fastidium, sed ipsi etiam orationi obscuritatem, sterilitatem, frigus infert (†).

§. 48.

Oratione in partes distributa sequitur ejus *tractatio*, quae, ut recte se habeat, *propositioni* et *partitioni*, ut quisque sua sponte intelligit, omnino *convenire debet*. Deinde vero *ad regulas instituenda est sibi proprias*, et quae tum generales sunt, tum ad res singulas in ea peragendas spectant.

§. 49.

Regularum generalium, quibus *tractatio* subjecta est, *prima* cernitur in partibus ejus ita explicandis, ut

(†) Cff. praeter scriptores §. 46 excitatos BLAIR, p. 289. TITTMANN, p. 220, 221. Sed prae ceteris lectu digna habent TZSCHIRNER, p. 104 sqq. et MYNSTER, *kleine Theologische Schriften*, p. 309 sqq. Quae autem illi recte opponunt partitioni, REINHARDO aliisque usitatae, supra disputatis minus obstare videntur.

ut in auditorum intellectum et voluntatem, *Phantasiam* et sensum pariter agens efficiatur: quem in finem ea maxime tendit, si sedula adhibetur cura, ut; et rebus, quantum fieri potest, *novum* illud insit, quod hominum animos attrahat; et universae orationis tenor *graviter* procedat; et omne, quod dicitur, tanquam adspectabile quid *in oculos incurrat*; et dicendi ratio denique, quam maxime ad vitam accommodata, auditores *rem suam agi* nunquam non *admoneat* (†).

§. 50.

Altera regula partes auditoribus propositas ita tractare jubet, ut ad *aequalitatem*, seu, uti dici solet, *proportionem* cogantur: quod, uti multum venustatis habet et pulchritudinis, sic et Oratori simul atque auditoribus loca, ubi paulisper requiescant, suo tempore praebet idonea, et concionem ad quascunque orationis partes eadem animi attentione audiendas eademque religione memoriae infigendas excitat. Verumtamen, ne quis hanc regulam sibi velle putet, ut singulae orationis partes totidem versibus vel paginis certe conscribantur, non solum monendum est, hanc rerum esse diversitatem, ut earum tractatio nunc amplior, nunc restrictior

(†) Prae ceteris omnibus legatur SCHOTT, p. 97 sqq. De *novitatis* autem studio vide PRIESTLEY, *A course of lectures on Oratory and Criticism.* Part. III. sect. 19. et GISBERT, p. 103 sqq. Cff. quae ab eo scripta sunt p. 263 sqq.

otior esse debeat, sed etiam, qui omnia quasi ad perpendiculum dirigant, eloquentiam ad artium illiberalium humilitatem deprimere, sibique viam intercludere, quominus, copiose graviterque dicant (†).

§. 51.

Tertium, quod hic observandum est, ad *transitiones* pertinet, quae ut orationi deesse nequeunt (*), sic et *varietate distinctae* esse debent, et ita faciendae sunt, ut ubique *ex praecedentibus emanasse* videantur: friget enim oratio, si pars quaevis major minorve ab ipsa transitione auditoribus, nullo nexu interposito, annuncianda incipit; insolenti vero verborum, ad hoc vitium cavendum, structura uti, longe quaesitum et affectatum est (§).

§. 52.

Quarto denique Oratori Sacro cordi esse debet *ubertatis et moderationis conjunctio*: ut igitur, et, quae ad rem faciunt, copiose tractentur, et quae levioris ponderis sunt, alienis prorsus praeteritis, verbo tantum commemorentur (††). Quorum alterum ab iis negligitur, qui, exilia tantum rerum dicen-

(†) TITTMANN, p. 248, 249. SCHOTT, p. 183 sqq. ubi de iis quoque *symmetriae* agitur partibus, quae hic silentio praetermissae sunt, quoniam ex dictis §. 30 sqq. sequuntur.

(*) HYPERIUS, p. 76 sqq.

(§) MAURY, p. 442 sqq. AMMON, p. 203, 204. TITTMANN, p. 256, 257. SCHOTT, p. 187 sqq.

(††) TITTMANN, p. 259 sqq.

cendarum lineamenta in medium proferentes, concionem quantocyus mittunt; alterius vero se immemores praestant, qui ac si omnia unam in orationem effundenda esse opinentur (†), tam nihil attinentia quam necessaria eadem loquacitate persequentes, longius, quam par est, auditores detinent (*).

§. 53.

Jam vero his regulis generalibus adjungendae sunt, *quae ad res singulas spectant, ab Oratore Sacro tractandas.* Tria autem in omnis orationis Sacrae *tractatione* concurrere possunt, ac reapse plurimum concurrunt ita, ut semet invicem deinceps sequantur: *narratio*, *confirmatio* et *applicatio*.

§. 54.

Quemadmodum veteres *narrationem* non in omni causa requiri monuerunt (§); sic ea quoque Oratori Sacro non opus est, ubi materia, de qua dicendum sit, nihil habet ambigui aut obscuri. Sed *narratio* orationibus omnibus *Analyticis* iisque inest *Syntheticis*, quarum argumentum ducitur ex verbis alicujus Scriptoris Sacri copiose explicatis. Neque illa carere potest oratio qualiscunque, cujus in argumento quaedam aut ambiguitas, aut obscuritas reperitur.

§. 55.

(†) FROSSARD, p. XXVIII sqq.

(*) Cff. OSTERVALD, p. 72 sqq. JACOBI, p. 124 sqq. BAHR, p. 247 sqq.

(§) DIONYS. *Halic.* l. c. p. 63. CICERO, *de Orat.* Lib. II cap. 81. QUINCTIL. Lib. IV. cap. 2.

§. 55.

Narratio vel *interpretatione loci Literarum Sacrarum*, auditoribus praelecti, vel *explicatione argumenti* iis propositi, vel *utroque* constat. Iisdem autem *perspicuitatis*, *probabilitatis*, et *brevitatis* regulis, quas veteres jam praescripserunt (†), subjecta est, sive a *confirmatione* et *applicatione* separatim, seu cum iis vel alterutra earum conjunctim editur. Atque hae regulae ad *narrationem argumenti* bene instituendam satisfacere videntur; sed de *loci alicujus Literarum Sacrarum interpretatione* nonnulla sigillatim monenda sunt.

§. 56.

Primum nempe notandum est, interpretationem tantum adhibendam esse verbis rebusque ambiguis, obscuris, auditorum ad aedes Sacras congregatorum corona dignis; expedita vero, et clara, et levia non esse attingenda (*): deinde rarissime librorum veterum varietates commemorandas, aut diversas interpretum sententias recensendas esse; ubi autem hujusmodi quid fieri, aut interpretationi vulgo usitatae contradici debeat, modestia opus esse et circumspectione, ne quis homines imbecillioris ingenii confundat, vel audaciae suspicionem sibi contra-hat

(†) *Rhet. ad Herenn.* Lib. I. cap. 9. CICERO *de invent.* Lib. I. cap. 20, 21. QUINCTIL. l. c. Tribns illis *suavitatem* addit CICERO *de Part. Or.* cap. 9, et alii alia, sed sine gravi causa.

(*) ROQUES, p. 417 sqq.

hat (†): porro singulis Literarum Sacrarum locis unum tantum tribui oportere sensum, qui maxime probabilis, vel omnino verus videatur, et ad Grammaticorum diligentiam ita ex verbis eruatur et exponatur, ut quisque in mentem Scriptoris Sacri penitus inspicere possit: praeterea quidquid ad verborum rerumve interpretationem, sive explicatione, seu circumlocutione dicatur, ita comparatum esse debere, ut Scriptoris Sacri et personae conveniat et aetati (*): denique interpretationem requiri, quae, quoad fieri potest, sensum tanquam in tabula oculis proponat, atque antiqui temporis dicta et facta, praesertim si in loco versetur argumenti historici, minus auditoribus referat, quam omnia in scenam inducat, ut ipsa concio quasi agentes coram intueatur (§).

§. 57.

Ad *interpretationi fidem faciendam* haud raro *argumentis* utendum est, iisque tum *internis*, tum *externis*. Illa autem petuntur ex auctoris consilio, oratione contexta, ipsius rei natura et indole; haec vero ex locorum similium comparatione, condi-

(†) Roques, p. 412 sqq. Borrs, p. 36.

(*) Erasmus, p. 865.

(§) Wagenaer, *Zeven lessen over het verhandelen der Heilige Schrift in de Godsdienstige bijeenkomsten.* p. 14 sqq. 71 sqq. al. cff. Tittmann, p. 169 sqq. et van der Palm in *Orat.* I. p. 11 sqq. ubi copiose exponuntur, quae, et hic, et aliis locis verbo tantum attingere potuimus.

ditionis, in qua auctor versatus est, observatione, auditorum vel lectorum ejus cognitione. Sed omnibus hujusmodi argumentis primam esse legem, ut ad vulgi captum et utilitatem accommodata sint, ex supra disputatis sequitur (†).

§. 58.

Progredimur ad alteram *tractationis* partem, *confirmationem*, qua iis fidem facit Orator, quae *propositione* continentur. Hoc autem dupliciter agere potest, *sententia* nempe *vel sua probanda*, *vel aliena refutanda*.

§. 59.

Profecto omnis oratio, qua aliquid credendum vel sequendum esse auditoribus persuadeatur, *probatione* indiget, ut causas, cur illud credendum aut sequendum sit, sive adhuc occultas bene intelligant, seu antea jam intellectas mente denuo revolvant: haec autem *probatio* instruitur *argumentis*, quorum de *inventione* et *dispositione* nunc nonnulla dicenda sunt.

§. 60.

Argumenta igitur sibi Orator Sacer *invenire* debet, quae talia sint, ut ad auditorum judicium et auctoritatem, tanquam tribunal suum, causam deferant; eorum non solum intellectum, sed *Phantasiam*

(†) Copiose haec exposuit SCHOTT, Tom. II. p. 433 sqq. Cf. MOSHEMIUS, Tom. II. p. 54 sqq.

siam etiam et sensum afficiant; eosque per planissimam et brevissimam viam ad persuasionem ducant (†).

§. 61.

Ad argumenta, quibus causam probarent, sibi invenienda haud pauci ab antiquo ex *Topica*, seu locorum in re qualicunque adhibendorum sede, quam artem vel disciplinam condiderat ARISTOTELES, opem petierunt (*); alii vero eam spreverunt, inprimis homines recentioris aetatis (§). Et sane fatendum est, quisquis ad causam suam probandam loca tantum communia quaerat, non ex ipsius rei tanquam visceribus argumenta sumat, declamatorem dicendum esse, Oratorem non item; sed *Topicam* tamen ad hujusmodi argumenta invenienda auxilium suum, aeque ac *meditationem*, praestare posse, nemo prudens negaverit (††): quapropter bene meruisse nobis videatur, qui hanc ipsam recentiore memoria ornarunt et illustrarunt (**).

§. 62.

Sed cum argumentorum, quibus causae probari pos-

(†) SCHOTT, l. c. p. 369 sqq. MYNSTER, p. 319 sqq. qui verum magis *commonstrandum*, quam *demonstrandum* esse, egregie probavit. Cf. BAUER, p. 84, 85.

(*) Cff. scriptores ll. a SCHOTT. p. 525.

(§) BLAIR, p. 299. FROSSARD, p. XLII, XLIII.

(††) PRIESTLEY, sect. 1 sqq. SCHOTT, p. 528 sqq. BAUER, p. 47.

(**) Inprimis KÄSTNER *Topik, oder Erfindungswissenschaft aufs neue erläutert.*

possint, varietates percurrere hujus instituti non sit, monuisse sufficiat, ea triplicis esse generis, vel ex ratiocinando petita, vel ex historiae aut experientiae quotidianae testimonio, vel ex Literarum Sacrarum auctoritate (†): quae autem ex ratiocinando petantur, *Analyticae* probandi rationi accommodatiora esse solere, cetera *Syntheticae*: verum fieri tamen posse, ut *Analytica* ratio in haec, *Synthetica* in illa aptissime quadret, vel utraque arcte conjungatur (*).

§. 63.

Aliis autem in causis uno tantum vel altero horum trium generum utendum est; in aliis vero, ut ad persuasionem apposite dicatur, nullum eorum desiderari potest: quo rei casu ita *disponenda* esse videntur, ut quae ratiocinationi debentur praecedant; quae vero ex historiae vel experientiae quotidianae testimonio petita sunt, nunc medium teneant, nunc, subjecta Literarum Sacrarum auctoritati, agmen claudant. Verumtamen argumenta, quae his Li-

(†) TITTMANN, p. 176 sqq. DAHL, p. 193 sqq. SCHOTT, p. 396 sqq. Ceterum de excitanda Literarum Sacrarum auctoritate legatur GAICHIÈS, *Maximes sur le ministere de la chaire*, p. 122 sqq. Interdum autem ex Graecorum et Romanorum, paulo saepius ex *Patrum* et *Reformatorum Ecclesiae* aliorumque libris loca excitare juvabit: neque hoc tamen nimis frequentandum est. Cf. MAURY, Tom. II. p. 8, 9, 228 sqq.

(*) Plura dabit prae ceteris aliis BAUER, p. 69 sqq. Cff. BLAIR, p. 303, 304 et GROTEFEND, p. 99 sqq Sed cautio habenda est, ne quis, haec vel similia legens, *orationem Analyticam et Syntheticam cum utraque probandi ratione confundat.*

Literis debentur, in Oratione Sacra prorsus praeterire nefas est.

§. 64.

Quod veteres voluere Rhetorici (†), ut argumenta leviora in medio, graviora in primis et postremis collocarentur, recentiore quidem aetate ab haud paucis comprobatum est (*), nec tamen comprobari meretur: nam ne hanc regulam ex illo adversarios qualitercunque superandi studio, quod olim inter oratores regnavit, originem cepisse dicam, duo maxime notanda sunt: alterum, orationem, uti supra vidimus (§), crescere debere, neque igitur ferre, ut leviora in medio, quam in principio ponantur argumenta; alterum, Oratorem Sacrum munere suo indignum esse, si argumenta, quibus ipse nullam vel exiguam fidem habendam esse censeat, histrionum vel praestigiatorum more, auditoribus proponere haud erubescat (††).

§. 65.

Quae huc usque monuimus ad omnem quodammodo orationem Sacram pertinent; sive propositionis *confirmatio* cum *narratione* et *applicatione* conjuncta,

(†) *Rhet. ad Herenn.* Lib. III. cap. 10. CICERO, *de Orat.* Lib. II. cap. 77 alii.

(*) BLAIR, p. 306, 307. Cff. VIVES, l. c. p. 252 sqq. HYPERIUS, p. 84, 85.

(§) Cap. II. §. 12.

(††) SCHOTT, Tom. III, p. 161 sqq.

cta, seu ab iis separata est: ubi vero illa singularem constituit orationis partem, summa providentia opus est, ne aut argumenta diversa permisceantur, aut quae reapse copulata sunt, a se invicem divellantur (†).

§. 66.

Altera confirmationis pars, quae *in aliena sententia refutanda* cernitur, ita se habere potest, ut *refutatio* vel *recta* sit, vel *obliqua*. Et illa quidem ipsas hominum contradictiones in orationem inducit et statim refellit; haec vero contradictionibus, sine earum commemoratione, talia opponit, ut via iis obstruatur.

§. 67.

Refutationem obliquam, quae a *probatione* vix aut ne vix quidem differt, tam auditorum animos munire, ne contradictionibus, alibi serpentibus, aliquando pateant, quam ad vim eorum, quibus satis populariter responderi nequeat, infringendam egregie inservire (*), nemo non intelligit. Et licet auditorum plerosque vel haud paucos saltem ab Oratore dissentire certum aut probabile sit, nec popularitas *refutationem rectam* minus patiatur, quam *obliquam*; vel sic tamen haec illi praeferenda videtur, nisi aut singularis rei gravitas, aut demonstrationis evidentia alteram sibi forte requirat.

§. 68.

(†) BLAIR, p. 305 sqq. DAHL, p. 200.

(*) Haec enim *refutationem rectam* nullo modo ferunt. Vide praeter alios ROQUES, p. 423 sqq.

§. 68.

Refutatio autem *recta*, uti eam perspicua praecedere debet et plena contradictionis propositio (†), sic nec mera constat exclamatione, nec provocatione ad judicium humanum, nec dissentientium objurgatione aut irrisione (*), sed clara et evidenti demonstratione, illud, quod contradicatur, aut falsa niti argumentatione, aut ex prava sequi opinione.

§. 69.

Disputari potest *probatio* an *refutatio*, si eandem in orationem concurrunt, alteri praemittenda sit: quod non magnopere mirandum est, siquidem orationum causae tam diversae sunt, ut nunc haec, nunc altera dispositio ad progressionem perpetuam magis conferat. Quare nobis nihil certi hac de re definiri posse videtur; nisi quis forte statuere velit, refutationem contradictionum graviorum probationi praeponendam, leviorum vero ei subjiciendam esse: sed ut vel haec regula sit, semper et ubique sequenda, vehementer veremur (§).

§. 70.

Narrationi et confirmationi addimus *applicationem*, quae rem tractatam ad ipsos convertit auditorum

usus.

(†) Ostervald, p. 58, 59.
(*) Roques, p. 426 sqq. Cf. Gisbert, p. 335 sqq.
(§) De refutatione legatur inprimis Schott, Tom. II. p. 49 sqq. coll. p. 24 sqq. Tom. III. p. 166, 167. Adde Dahl, p. 201 sqq. Grotefend, p. 178 sqq. aliosque.

usus. Est autem ea nunc *per totam orationem diffusa*, nunc *singulis ejus partibus subjecta*, nunc *ad ejus finem collocata*, ut ipsa integram ejus et quidem postremam partem contineat.

§. 71.

Plerisque hodie Orationem sic instruere placet, ut *integram ejus et quidem postremam partem* contineat *applicatio*. Ex nonnullorum vero sententia, magis auditorum consulunt utilitati, qui applicationem a ceteris orationis partibus non distinguunt (†). Et sane! qui apposite ad persuadendum dicere velint, per universam orationem dicendi ratione ad vitam accommodata, quoad fieri possit, uti debere, supra jam monuimus (*). Sed ut hac tamen sententia possessione sua omnis privatur oratio *Analytica*, κατ' ἐξοχὴν *ita dicta*; sic fautores ejus minus meminisse videntur, multas orationes *Syntheticas* talis esse argumenti, ut applicatione separatim posita haud sine damno carere possint (§).

§. 72.

Ubicunque autem *ponitur applicatio*, omnino ita institui debet, ut mentes auditorum recti et honesti amo-

(†) Borgerus in libro: *Tijdschrift van Kunsten en Wetenschappen. Voor het jaar* 1813. Fasc. III. p. 116—124. Tittmann, p. 223. Idem voluit vir doct. in libro: *Verstrooide gedachten over verschillende onderwerpen, uitgegeven voor Leeraars en Vrienden van Godsdienst en Godgeleerdheid.* Fasc. I. p. 167, 168.

(*) §. 49.

(§) Osterwald, p. 115.

amore impleantur, solatio et vitae melioris spe erigantur; ad pietatis et virtutis cujusvis testificationem perducantur; atque hic homines vere Christiani vel existant, vel esse pergant.

§. 73.

Quod ut ex voto succedat, non generatim concionem ad hominis vere Christiani perfectionem (†) sibi quaerendam exhortari sufficit, sed admonitiones ad causam, quae agitur, pertinentes, ex ipsis narratis aut confirmatis petere (*), et auditoribus ita proponere oportet, ut, cum sentiendi et vivendi ratione valde inter se differant, a se invicem bene distinguantur, singulisque sua tribuantur (§).

§. 74.

Neque omnia absolvuntur admonitione, quid ab auditoribus singulis fieri debeat; sed hominibus etiam, quomodo illud fieri possit, ostendere, eos ad sui cognitionem ducere, impedimenta pietatis et virtutis tollere aut comminuere, adjumentorum ope laborantibus succurrere, atque ita animos regere et flectere necesse est (††).

§. 75.

(†) TITTMANN, p. 204.
(*) OSTERVALD, p. 117, 118.
(§) MOSHEIM, Tom. I. p. 363 sqq. SCHOTT, Tom. III. p. 189. Inprimis legatur KIST, *Vijf Leerredenen over het geweten*, Praef. p. XVIII sqq.
(††) MOSHEIM. p. 347 sqq. SCHOTT, Tom. II. p. 415 sqq. III. p. 170 sqq.

§. 75.

Quae cum ita sint, quisque sua sponte intelligit, hunc maxime locum esse, quem animorum inflammatio sibi postulet: quorum igitur affectiones, tum ex pulchri studio et desiderio ejus, quod utile est, tum praecipue ex honesti sensu oriundae, ut ipsi auditores ad viam hominis vere Christiani ingrediendam vel persequendam ducantur, ab Oratore Sacro commovendae sunt: quod non solum ferri posse, sed fieri etiam debere, satis superque nobis probasse videmur (†).

§. 76.

At egregie fallitur, qui aut verbis exquisitis, aut vocis elatione, aut adhortatione concionis, ut se flecti sinat, aut vel commonstratione rem tanti esse, ut nemo mentis sanae attentionem in ea figere possit, quin graviter afficiatur, auditorum animos jam commotum iri putat (*). Nec *Phantasia* hominum alenda et evehenda, nec lacrymis exciendis, multum, quod operae pretium sit, praestabitur (§). Sed id agere, ut oratio in viscera penetrans aculeos ibi relinquat et,

(†) Vide Part. I. cap. 3. §. 41 sqq. quibuscum cff. dicta a MYNSTERO, p. 289 sqq.

(*) GISBERT, p. 268. Cf. et MÜNTERI disputatio: *Warum manche Prediger nicht rühren können?* quae reperitur in *Hallisches Journal für Prediger* Tom. II. part. 2. p. 182 sqq.

(§) MEISTER, *Lettres sur l'imagination.* p. 166 sqq. Quam exigui ponderis lacrymae esse possint, exemplo egregio docet ERASMUS, p. 982.

et, missa concione, fructum faciat, hoc opus, hic labor est. Illud vero solus potest vir pius et honestus, qui sensus pectoris, quod ipsum rerum gravitate et pondere commotum est, auditoribus enunciat, et ita quidem, ut nihil expromat, quo animi semel affectionibus impleti, vel citius, quam par est, sedentur, vel diutius agitentur (†).

§. 77.

Applicatio, integram et quidem postremam orationis partem continens, recentioris aetatis inventum est. Et eam quidem his quinque: *institutione*, *admonitione*, *reprehensione*, *exhortatione* et *consolatione* constare debere, multi olim contenderunt; aliis vero plura ad eam referre vel paucioribus eam circumscribere placuit (*): sed argumentorum, quae ab Oratore Sacro tractari possunt, nobis obstat diversitas, quominus aliquid certi hac de re constituamus (§).

§. 78.

Sic et ad quaestionem, utra utri praeferenda sit applicatio, quae ex more majorum rerum tractatarum summam *conjunctim* ad auditores convertit, an quae,

(†) OSTERVALD, p. 118 sqq. BLAIR, p. 316 sqq. MAURY, Tom. II. p. 234 sqq. Cf. QUINCT. Lib. VI. cap. 2. et TZSCHIRNER, p. 190 sqq.

(*) VAN DER WAEYEN, p. 100 sqq. OSTERVALD, p. 134 sqq. OELRICHS, p. 52 sqq.

(§) ROQUES, p. 448 sq. MOSHEIM, p. 332 sqq. SCHOTT, Tom. III. p. 244, 245.

quae, uti hodie maxime usitatum est, singulis rerum capitibus *seorsum* occupatur, nihil certi responderi potest: nam alia in argumenta hoc, in alia illud quadrat.

§. 79.

Sed in applicatione hujus generis *duo* haud dubia *requiruntur*: alterum ut quaecunque in ea tractantur, et cum ipso orationis argumento, et inter se invicem bene cohaereant; alterum, ut illa, locis communibus, quos vocant, sibi relictis, cum partibus praecedentibus adeo conveniat, ut nulli alii orationi subjici possit (†).

§. 80.

Pervenimus denique ad *perorationem*, quae cum et ad rerum tractatarum summam colligendam oculisque simul subjiciendam, et ad mentes auditorum vividissimo totius orationis sensu implendas usitata sit, duobus constare potest, *repetitione* et *conclusione* (*).

§. 81.

Repetitioni multum pretii a veteribus statutum esse, mirandum non est, siquidem illis nec argumen-

(†) Huc spectant nonnulla eorum, quae monuit TITTMANN, p. 205 sqq.

(*) Sic post CICERONEM, *de Part. Or.* cap. 15. qui has duas partes *amplificationem* et *enumerationem* vocat, QUINCTIL. Lib. VI. cap. 1. et multos veterum, MELANCHTHON, p. 8 aliique recentiores. Nonnulli quidem, uti AGRICOLA, p. 310 et ERASMUS, p. 950 perorationi tres partes tribuunt; sed cf. inprimis GROTEFEND, p. 138 sqq.

menti propositionem, neque orationis partitionem usitatam fuisse vidimus. Quod cum imitantur Oratores Sacri nostrae aetatis, hi quoque, ne causa auditoribus minus perspecta sit, rerum summam, priusquam dicendi finem faciunt, colligere oculisque subjicere debent. Ab iis vero, qui argumenti propositionem et orationis partitionem tractationi praemiserint, repetitionem sine damno praeteritum iri putamus, nisi ea forte necessaria sit ad *conclusionem* cum oratione connectendam: quemadmodum et per totam orationem repetitio nonnullorum haud raro auditores adjuvat, ut seriem argumentandi probe assequantur (†).

§. 82.

Conclusione carere nequit oratio, cui deest applicatio, postremo in loco posita, vel singulis partibus subjecta. Nec sui desiderium relinquere potest, ubi alterutra quidem applicatio reperitur, sed ad mentes auditorum satis vivido totius orationis sensu implendas minus comparata (*). Ubi vero applicatio se hac nota commendat, omnis conclusio supervacanea, atque ideo improbanda est (§).

§. 83.

Quemadmodum autem *conclusionem* hoc cum *repe-*

(†) Schott, Tom. II. p. 470 sqq.
(*) Tzschirner, l. c. p. 216 sqq.
(§) Schott, Tom. III. p. 242 sqq.

petitione commune habere oportet, quod in orationem praecedentem omnino quadret et quam brevissima sit (†); sic ea ceterum iisdem tenetur legibus, quas applicationi scripsimus (*). Inprimis vero necesse est, ut et auditores, conclusione ex pectore ardoris pleno proficiscente, ad vitam hominum vere Christianorum incipiendam vel persequendam inflammentur (§); et Orator Sacer, varietatis causa, nunc claro Literarum Sacrarum loco, nunc alia magni ponderis sententia, nunc voce ad Deum vel CHRISTUM conversa, dicendi finem faciat (††).

CAPUT IV.

De Orationis Sacrae dictione.

§. 1.

Progrediamur ad quaestionem, quomodo se habere debeat *orationis Sacrae dictio.* Ad quam quidem vario modo a viris doctis responsum est; sed ita tamen, ut nonnulla minus ex ordine collocasse videan-

(†) OSTERVALD, p. 131 sqq. BLAIR, p. 329. GROTEFEND, l. c.
(*) Vide §. 72 — 76.
(§) ROQUES, p. 449 sqq.
(††) DAHL, p. 246, 247.

antur. Ex mea certe sententia ordo servari nequit, nisi quatuor deinceps recenseamus virtutes: ut dictio *perspicua*, *culta*, *oratoria*, et, ut barbare vocant, *Biblica* sit. Harum autem virtutum *primam* omittere licet nemini, qui sermone dicit articulato. *Altera* insuper necessaria est hominibus, qui dicunt pro concione populi. *Tertiam* cum utraque conjunctam habere debent Oratores, qui ad auditorum dicunt persuasionem. *Quatuor omnes* vero in Oratore requiruntur Sacro, qui hoc eodem consilio de rebus dicit Christianis.

§. 2.

Incipimus a *perspicuitate*, quam *popularitatis* partem esse, supra monuimus (†), et quae in dictione cernitur, si quis ita dicit, ut ab auditoribus suis facile intelligatur (*).

§. 3.

Quemadmodum in vita communi omnes homines, qui ab aliis intelligi volunt, perspicue loqui conantur; sic Oratorem Sacrum dictione perspicua uti non solum *humanitatis* jubet *officium*, sed ipsum etiam illud *consilium*, quo pro concione dicit: qui enim non intelligitur, etiamsi ei verborum pompa *Phantasiam* aliorum excitare contingat, nemini tamen,

(†) Part. I. cap. 1. §. 33 sqq.
(*) Scheller, *praecepta stili bene latini.* Part. II. p. 507.

men, ut homo vere Christianus sit, dicendo persuadere potest (†).

§. 4.

Si autem ad persuasionem aliorum, ut homines vere Christiani sint, dictionis perspicuitate opus est; multo magis ea in *oratione* requiritur, quam in *collocutione:* nam in collocutione, ubi alter alterum excipit, cujuslibet attentio identidem renovatur, atque eorum, quae obscuriora videntur, illustratio rogatur; oratio vero omnem auditorum attentionem satis longo temporis spatio sibi soli poscit, et nullam plane interpretationem admittit (*).

§. 5.

Et si rectissime QUINCTILIANUS (§) dictionis perspicuitatem *primam* esse scripsit *virtutem*, ab oratoribus sui temporis colendam; summopere ea *oratoribus Sacris* commendanda est: qui enim Romae pro populi dicebant concione, argumenta tractarunt ex vita communi petita, et auditoribus magnam partem cognita; sed in aedibus Sacris de rebus dicitur, quae a sensibus remotae, et non nisi a paucissimis quodammodo perspectae sunt (††).

§. 6.

(†) SCHELLER, p. 506.
(*) TITTMANN, p. 241, 242. SCHOTT, Tom. II. p. 470.
(§) l. c. Lib. VIII. cap. 2.
(††) SCHOTT, Tom. I. p. 395 sqq. MAREZOLL, p. 78 sqq.

§. 6.

Variae quidem sunt causae, cur nemo sperare possit fore, ut dictionis perspicuitatem ab omni parte assequatur: sed, uti orationum tamen Sacrarum, si inter se comparantur, aliae magis, aliae minus perspicuae habendae sunt; ita omnes, quotquot Oratoris Sacri munere funguntur, ad illud perspicuitatis fastigium adspirare debent, quod in recto *verborum* et *electione*, et *copulatione* cernitur (†).

§. 7.

In *verborum electione* Orator Sacer dicendi perspicuitatem observat, si nullis aliis utitur, quam quae et *vulgo usitata* sunt, et *ad mentem suam explicandam accommodata* (*).

§. 8.

Verba vulgo usitata dicimus, quae homines cujusvis generis, ordinis et conditionis, ubi lingua vernacula utuntur, in ore et sermone habent. Quemadmodum autem haec perspicua sunt (§); sic perspicuitati obstant atque ideo Oratorem Sacrum dedecent, quae Philosophorum vel Theologorum propria sunt, in vita vero communi audiri non solent; item quae a majoribus quidem trita fuerunt, sed ob-

(†) Cff. dicta l. c. §. 40.
(*) Blair, Tom. I. p. 284 sqq.
(§) Dionys. *Halicarn.* Tom. II. p. 82. Cicer. *de Orat.* Lib. I. cap. 3.

obsoleverunt propter vetustatem : atque insuper, quae ex linguis peregrinis, sive antiquioris memoriae, seu adhuc vigentibus petita sunt, sed cum lingua vernacula nondum coaluerunt (†).

§. 9.

Quod tamen non ita intelligendum est, ac si nefas sit verbis uti, quae publici juris fecit necessitas rei alicujus peregrinae vel novae nominatim ab aliis discernendae; nam quomodo, quaeso! rem illam data occasione commemorabit Orator, cui verbi, quo commemoranda est, usus interdicitur (*)?

§. 10.

Verbis ad mentem suam explicandam accommodatis utitur Orator Sacer; si illa notionibus, quas ipse in mente habet, accurate respondent. Quod cum jubeat perspicuitas, hanc in legem peccat, qui verbo notionem, vel ab eo alienam tribuit, vel ampliorem, aut restrictiorem, quam sua ferat sententia, ab auditoribus intelligenda (§).

§. 11.

Longioris disquisitionis est, quaenam sit altera pars

(†) GISBERT, p. 344. TITTMANN, p. 267. AMMON, p. 216 sqq. MAURY, Tom. I. p. 428. DAHL, p. 314.

(*) Hanc in rem converti possunt, quae scripsit CICERO, *Acad. Quaest.* Lib. I. cap. 6, 7 et *de finib. bon. et mal.* Lib. III. cap. 1.

(§) SCHELLER, p. 572 et BLAIR, p. 284 sqq. et 287 sqq. ubi tamen confusionem parit bipartita hujus rei divisio.

pars perspicuitatis, quae in *verborum copulatione* cernitur. Videamus igitur, quomodo *sententiae*, ut perspicuae sint, et *singulae* se habere debeant, et *secum invicem conjunctae*.

§. 12.

Singularum sententiarum perspicuitas sibi primum *verba* postulat *ad regulas Grammaticorum composita*: hanc vero perspicuitatem comminuunt vel tollunt vitia contra regulas illas commissa, ut *Enallagae* generis, numeri et casus, *Anacolutha*, et quae hujus notae plura sunt (†).

§. 13.

Deinde, ut sententia aliqua perspicua sit, verba ejus *ex ordine collocata* esse debent: ex ordine autem collocata sunt, si eorum structura ad loquendi usum ita instituta est, ut sententia, quae in Oratoris Sacri mente est, ab auditoribus omnino intelligi possit. Si quis vero, loquendi usum deserens, ad arbitrium suum verba disponit, sententia ejus aut obscuritate laborat aut ambiguitate (*).

§. 14.

Sed harum vel alterutra, vel utraque quoque laborat sententia, nisi ei *totidem insunt verba*, *quot ei* ad mentem oratoris explicandam *inesse debent*: qua-

(†) Cf. TITTMANN, p. 278, 279.
(*) TITTMANN, p. 270, 284 sqq. cf. GROTEFEND, p. 200 sqq.

quare summopere cavendum est, tum a *quaesita brevitate*, tum a *copiosa loquacitate*.

§. 15.

Quaesita brevitas est, cujus aemuli necessaria quoque orationi substrahunt verba: unde duriores oriuntur *Ellipses*, vel *Grammaticae*, vel *Logicae*, quae faciunt, ut auditores, vel obscuram tantum rei, quae dicitur, notionem mente concipiant, vel alienam Oratori sententiam tribuant.

§. 16.

Verumtamen, uti hanc brevitatem improbamus, sic illa vehementer commendanda est, qua quidquid supervacaneum est a singulis sententiis arcetur, et cui *copiosa* opponitur *loquacitas*, sententiis verba inserens, quae vel impediunt, quominus cetera intelligantur, vel ipsa a multis intelligi nequeunt.

§. 17.

Impedimento, *quominus cetera intelligant*, auditoribus *sunt Epithetorum*, nihil dicentium, usurpatio, *Synonymorum* frequentatio, enunciationum, quae unum idemque sibi volunt, cumulatio, longior quaevis, qua *Protasis* et *Apodosis* a se invicem divelluntur, interjectio, seu *Parenthesis;* quibus auditores vel in opinionem inducuntur, oratorem, ubi unam eandemque rem iterum iterumque, sed diversis proponat verbis, duo, tria, vel plura enunciare; vel ab omni mentis attentione in orationis capitibus fi-

figenda, aut serie ejus perpetuo sequenda avertuntur (†).

§. 18.

Quamvis autem omnis sententia longior non ambigua vel obscura est; *a multis* tamen *intelligi nequeunt ipsa* Oratoris Sacri *verba*, si longior, quam faciunt, sententia hujus naturae et indolis est, ut sensus eorum, quae ab initio dicta sunt, auditores lateat, usque dum audiatur conclusio.

§. 19.

Sed ut Oratoris Sacri dictio perspicua sit, haud secus ad *sententias secum invicem conjunctas*, quam ad singulas attendendum est. Et tria quidem in iis requiruntur: primum, ut a conjunctionibus Orationis seriei accommodatis, aut, si supervacaneae sunt, nullis incipiant; deinde, ut, se invicem excipientibus, quae pluribus et paucioribus verbis comprehenduntur, hae tamen frequentiores quam illae sint; denique, ut ordine quodam naturali, ipsis rebus conveniente, aliae alias sequantur (*).

§. 20.

Huc usque de eo diximus, quod omnibus Oratoribus Sacris commune est. Sed cum haec hominum sit

(†) TITTMANN, p. 270, 271. THYM, p. 116, 117. GROTEFEND p. 207, 208.

(*) Praeter QUINCTIL. aliosque scriptores supra excitatos de *sententiarum perspicuitate* legantur BLAIR, p. 302 sqq. et SCHELLER, p. 576 sqq.

sit diversitas, ut eadem dictio *in aliis* civitatis Christianae *locis perspicua*, *in aliis minus perspicua* et vel obscura esse possit; regulae a nobis propositae ad loci cujuslibet naturam ita accommodandae sunt, ut nunquam non auditorum ratio habeatur. Verumtamen quaestionem, quomodo illud fieri debeat, oratoris cujusvis prudentiae relinquere, quam hac in disciplina tractare praestat (†).

§. 21.

Perspicuitatem dictionis exposuimus: at egregie falluntur, qui quidquid perspicuum est satis cultum esse putant. Immo vero *dictio culta* est, quae aeque in scriptione atque in collocutione usurpatur, et ita quidem, ut hominibus tam superioris, quam inferioris ordinis placeat, nulli hominum generi displiceat (*).

§. 22.

Oratoris cujuslibet *dictionem cultam esse debere*, si pro concione populi dicat, nemo non intelliget, qui tam *populi* notione homines varii ordinis, loci et conditionis comprehendi, quam ab eo, qui dicendi causa in *concionem* procedat, decori leges religiose observandas esse meminerit. Oratori autem Sacro officium dictionis suae excolendae cum maxime im-

(†) Suam quisque sententiam dixerunt MARHEZOLL, p. 153 sqq. TITTMANN, p. 263 sqq. REINHARD, p. 174 sqq. MARHEINECKE, p. 88, 89. DAHL, p. 311 sqq. SCHOTT, Tom. I. p. 388 sqq. Tom. II. p. 399 sq. aliique.

(*) GISBERT, p. 222.

imponit rerum, quae ab eo tractantur, gravitas, et muneris, quo ille fungitur, majestas (†).

§ 23.

Fatendum quidem est, Oratori Sacro in pagis vel oppidulis, ex vitae communis tanquam luce remotis, concionem adesse solere minus cultam, quam in urbe capitali vel saltem illustriore; neque hic quoque plerosque auditorum cultum dicendi genus ab inculto bene distinguere non posse diffitemur: verumtamen, uti vix usquam ad aedes Sacras congregantur homines, quin unus aut alter iis insit, ad humanitatem paulo expolitior; ita omnium in animis obscurus quidam, etiamsi ejus careant conscientia, habitat sensus, quo ad cultam orationem incultae, dummodo cetera paria sint (*), praeferendam impelluntur (§).

§. 24.

Et hoc nomine cultum dicendi genus Oratori Sacro commendari meretur, quod officium sermonis quo-

(†) Cicero, *Orat. ad Brut.* cap. 21. Maury, Tom. I. p. 491 sqq. Thym, p. 117 sqq. Dahl, p. 306 sqq.

(*) Hoc bene tenendum est, ne quis nobis multos opponat homines, inprimis plebejos, qui Oratores Sacros, quanto magis se dicendo ab humanitate alienos ostendant, tanto fervidiore studio sectentur: hoc enim non ex ipso inculto dicendi genere, sed ex eo oritur, quod oratoribus hujus notae propria esse solet popularitas quaedam, qua mentis suae cogitata tanquam ad vitam exprimunt et auditores suos actionis participes faciunt. Vide infra §. 33 sqq.

(§) Cff. dicta Cap. I. §. 38 sqq.

quoque hominum pro viribus suis excolendi ei demandatum est: hujus autem officii explendi viam eo tutius ingredi potest, quo certius constat, tantum abesse, ut dictio revera culta perspicuitatem quodammodo imminuat, ut eam vehementer augeat (†).

§. 25.

Duo igitur improbanda sunt, *verba abjecta*, et *sententiae triviales:* quibus notis insignitum est, quidquid familiaris tantum admittit hominum consuetudo, vel non nisi in ore et sermone plebis esse solet. Quoniam autem nonnulli hanc demum popularitatem veri nominis esse jactant, quae in plebejo illo dicendi genere sibi placeat; Oratorem Sacrum multum cavere oportet, ne jactatione eorum fraudem sibi fieri patiatur (*).

§. 26.

Ab altera vero parte Orator Sacer sibi cavere debet, ne nimio dictionis cultae studio, aut *Phantasiam* sensumque impediat, quominus iis ad Orationem componendam adjuvetur; aut orationem jam compositam usque adeo limare pergat, donec omne exstinguatur sublime: quod ubi reperitur, dictio, etiamsi vitia nonnulla ei adhaereant, multo magis ni-

(†) Tittmann, p. 267, 263. dahl, p. 301.
(*) Gisbert, p. 203 sqq. tittmann, p. 266. marezoll, p. 153 sqq. ammon, p. 211 sqq. reinhard, p. 173, 174.

nitet, quam alia, quae sublimi caret una cum vitiis (†).

§. 27.

Summopere autem ab Oratione Sacra arcenda dictio est, quae aut *affectata*, aut *effeminata* appellari solet. Affectata est, quae pulchritudinem longe quaesitam et omnino fucum orationi adjicit; ut si quis de rebus vulgaribus magnifice loquitur: effeminata vero, quae viros facit mollitiem feminarum simulantes; ut si *diminutiva* de re gravissimi ponderis usurpantur, aut flosculi sparguntur, quales puellis tantum in fabulis *romanticis* conveniunt (*).

§. 28.

Quid? quod in laude haberi nequit dicendi genus, quod ita comparatum est, ut ab argumento orationis animorum attentio ad cultum ejus convertatur: immo vero cultus ille, quo sentiendo auditores ad oratorem perpetuo sequendum stimulentur, per universam dictionem quidem diffusus, sed ea tamen *simplicitate* conditus esse debet, ut neminem aliud quid, quam res ipsa teneat (§).

§. 29.

Tertia nunc sequitur *virtus*, quae Oratoris Sacri di-

(†) LONGINUS, Cap. 33.
(*) LONGINUS, cap. 30. GISBERT, p. 129 sqq. ROQUES, p. 462, 463. DAHL, l. c.
(§) GISBERT, p. 82 sqq. SCHOTT, Tom. I. p. 404 sqq. THYM, p. 129, 130.

dictioni inesse debet, *ut oratoria sit.* Oratoriam autem habemus dictionem, quae res ita proponit, ut, *Phantasia* et sensu auditorum excitandis, eorum et intellectui succurratur, et in voluntatem agatur (†).

§. 30.

Quemadmodum omnes, quotquot pro concione populi apposite ad persuadendum dicunt, oratoria utuntur dictione, ut rerum gravitati verborum pondus adhibeant; sic ea perquam *necessaria* est *Oratori Sacro*, quoniam ab eo tractari solent, quae non tantum a quotidiano plerorumque hominum sermone aliena, sed pravis etiam opinionibus et cupiditatibus ex adverso opposita sunt (*).

§. 31.

His praesertim diebus Oratori Sacro dictione oratoria opus est, ut ejus vi et efficacitate, tum coecum illum cohibeat impetum, quo homines, multo magis quam olim, ad mollem, amoenam et delicatam vitam feruntur; tum vanitatem confundat eorum, qui *Protestantium* causam, nisi sacra eorum rerum quarundam in sensus cadentium splendore exhilarentur et ornentur, in lubrico versari clamant (§).

§. 32.

(†) Dahl, p. 318 sqq.

(*) Part. I. cap. 3. §. 23, 60 sqq.

(§) Fransen van Eck, *Kerkel. redev. bij de opening van de alg. Synode enz. Deventer* 1818. *Revue Protestante*, Tom. III. p. 285 sqq. van Hengel, p. XVI.

§. 32.

Jam vero dictio Oratoria nobis *plures* habere videtur *partes*, ut et ad vitam expressa sit, et luminibus distincta, et numeris alligata, et pectoris plena. Quae singula nunc data opera recensere juvabit.

§. 33.

Dictione ad vitam expressa nobis eam volumus, cui collocutionis familiaris forma, quatenus cum dicendi perpetuitate constat, induta est, et ita quidem, ut omnem animorum attentionem sibi conciliet (†). Hac autem virtute Oratoris Sacri dictio nitet, si ejus oratio ad ipsos auditores convertitur, ratiocinatio ad vitae communis usum instituitur, quod a sensibus remotum est modo adspectabili proponitur, et varietas in verbis sententiisque cernitur.

§. 34.

Orationem habet *ad ipsos auditores conversam*, qui non tantum, scriptorum instar, id curat, ut mentem suam explicet, multo minus sibi soli loquitur; sed auditoribus inservit, cogitata eorum excipit, sua iis vicissim regerit, et tanquam actionem inducit, cujus illi participes reddantur: quod quantopere aures alliciat animosque teneat, prorsus dici nequit (*).

§. 35.

(†) l. c. Cap. I. §. 25.
(*) Gisbert, p. 264 sqq. tittmann, p. 269 sqq. thereme-

§. 35.

Ratiocinationem ad vitae communis usum institutam dicimus, quae syllogismis constat, minus ad scholae diligentiam compositis, et una serie continuatis, quam contractis, productis, vel interruptis. Contrahuntur *Enthymemate*, producuntur *Amplificatione*, interrumpuntur *Digressione:* quae, ubi ex ipso Oratoris animo nascuntur, et opportune pro ratiocinatione scholastica substituuntur, orationi insigniter prosunt; siquidem *Enthymemate* persuasio auditorum acceleratur, *Amplificatione* conclusionis efficacitas corroboratur, *Digressione* nervus probandi clariore in luce collocatur (*).

§. 36.

Quod a sensibus remotum est modo adspectabili proponitur, tum, si res olim gestae vel postea eventurae, tanquam praesentes, oculis subjiciuntur; tum vero si pro abstractis concreta substituuntur. Alterum fieri solet permutatione temporis praeteriti et futuri cum praesente, alterum maxime rerum imaginibus, similitudinibus, exemplis, et quae hujusmodi plura sunt. Hoc autem dicendi genus, si locum suum occupat, auditores in rem rapit mediam, ut naturam ejus penitus intueantur, specta-

cu-

REMIN, p. 191, 192. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, p. 123, 124.

(*) SCHOTT, Tom. II. p. 460 sqq.

tuli illius luce suaviter pascantur. et gravis, quod ei inest, ponderis sensu toti impleantur (†).

§. 37.

In verbis denique *sententiisque cernitur varietas*; si oratio recta et obliqua, tenuis et gravis, rapida et tarda, propria et figurata suo loco inter se ita permutantur, ut dicendi conservetur aequabilitas. Quemadmodum autem varium illud, quod naturae inditum est, contemplationem ejus et gratam facit, et utilitatis fructu plenam; sic hac dictionis varietate non solum omne taedium ab auditoribus amovetur, sed etiam animis, nunc ab hac, nunc ab alia parte ex inopinato petitis, acerrimus adhibetur stimulus, ut se totos Oratori tradant (*).

§. 38.

Eloquentiae *luminibus distincta* dictio est, cui locis opportunis tum *tropi* insunt, tum *figurae*. Utrumque autem genus nunc brevitatis causa *figurarum* nomine comprehendere, et laborem singulas earum recensendi aliis relinquere lubet (§).

§. 39.

(†) Dahl, p. 320 sqq. schott, p. 253 sqq. 298 sqq. 481 sqq. Cf. et gisbert, p. 154 sqq. Jam multa egregie monuit longinus, cap. 15. et longe post agricola, p. 388 sqq.

(*) Gisbert, p. 110 sqq. theremin, p. 192 sqq. Cf. et roques, p. 459 sqq.

(§) Hottingerus, in libro, cui titulus: *Werken van de Maatschappij der Nederlandsche Letterkunde.* Tom. VII. p. 69 sqq. nec non in *Opusc. Phil. Crit. atque Hermen.* p. 1 sqq. blair, Tom. I. p. 396 sqq. dahl, p. 328 sqq. grotefend, p. 195

 sqq.

§. 39.

Generatim igitur monemus, haec eloquentiae lumina, non solum ad orationem, et illustrandam, et variandam (quae duo supra optanda esse diximus), egregie inservire; sed se hoc inprimis nomine vehementer commendare, quod ad id summopere conferant, ut animorum conscientia ex sopore excitetur, iisque et mali odium, et pietatis ac virtutis ardor inspiretur. Quibus de causis oratio, quo insignius his luminibus distincta est, eo efficacior est ad auditoribus persuadendum, ut homines sint vere Christiani.

§. 40.

Veruntamen ut hanc efficacitatem habeant, rerum naturae convenire, cum perspicua et culta dictione constare, auditorum causam et salutem spectare, et ita usurpari debent, ut modus omnino adhibeatur.

§. 41.

Rerum naturae conveniunt figurae, si in locis ponuntur, quorum argumentum cum iis congruit. Neutiquam igitur feruntur, ubi quis in rerum vulgarium versatur tractatione, aut in iis orationis partibus, quae omnem figuram aspernari solent (†).

§. 42.

sqq. Ceterum frustra laborare viros doctos, qui plenam et perfectam figurarum, quae ex Oratoris animo prodire possunt, recensionem conscribere velint, THERBMINO, p. 198, 199 lubenter assentimur. Sed illud jam vidisse videtur LONGINUS, cap. 16.

(†) THERBMIN, p. 200. Cff. supra dicta cap. III. §. 19, 30, 34.

§. 42.

Cum perspicua et culta dictione figurae *constant*, si ita usurpantur, ut auditores, et dictionis sensum facile intelligant, et nihil, quod sibi displiceat, in iis reperire possint.

§. 43.

Perspicuitatem comminuunt vel tollunt, atque ideo improbandae sunt figurae, tum vulgo inusitatae, ut quae in hominum tantum eruditorum congressibus circumferuntur, vel a rebus, quarum notitia vulgus caret, petuntur; tum longe quaesitae, uti comparationes rerum, inter quas exigua tantum intercedit similitudo, aut *Antitheses* argutiores vel subtiliores, quam plerorumque hominum capiat ingenium; tum denique ita comparatae, ut auditoribus ansam praebeant dictionis figuratae pro propria habendae, quales multas esse constat *Hyperbolas*, sive exaggerandae, seu extenuandae rei causa usitatas (†).

§. 44.

Dictioni cultae non solum *obstant*, quae a rebus petitae sunt obscoenis, aut Graecorum vel Romanorum debentur fabulis, religionis Christianae ingenio contrariis, aut ridiculum vel scurrile quid sibi habent

(†) Eleganter cum ISIDORO *Pelus.* Epist. Lib. III. Ep. 42 Oratorem, qui perspicuitatem verbis figuratis tollit, dicere possumus: *τὸν ὑπερσόφοις καὶ ὑψηλοῖς λέξεσι καὶ τὰ σαφῆ ἐπισκιάζοντα.* Cff. QUINCTIL. Lib. VIII. cap. 3 et MAURY, Tom. I, p. 421 sqq.

bent admixtum; sed etiam quae a simplicitate tam longe abhorrent, ut orationem faciant inflatam (†).

§. 45.

Auditorum causam et salutem spectare dicimus figuras, si orationi afferuntur, quo firmius auditoribus, ut homines vere Christiani sint, persuadeatur: hoc autem fieri nequit, nisi eas expromat pectus, pietatis ac virtutis studio imbutum, et Divinitus calefactum ad auditorum pectora eodem studio incendenda (*).

§. 46.

Novimus quidem, plerosque Rhetoricorum recentiorum, CICERONIS aliorumque veterum vestigia sequentes, Oratori praescribere, ut in figurarum usu sibi *ornamentum* dicendi quaerat: sed hoc omne orationis ornandae studium, uti ex mera laudis cupiditate oritur, sic non solum revera impedit, quominus quis ad auditoribus persuadendum apposite dicat, sed etiam gravissimo Oratoris Sacri munere indignum est (§).

§. 47.

Itaque reprehendendi sunt, qui, in oratione Sacra conscribenda versantes, figuras sibi, aut ex Rhetorico-

(†) LONGINUS, cap. 3. GISBERT, p. 138. ROQUES, p. 455 sqq. TITTMANN, p. 292, 293. DAHL, p. 306 sqq.

(*) GISBERT, p. 137, 138. THEREMIN, p. 199, 200.

(§) GISBERT, p. 138, 139. TITTMANN, p. 290 sqq. THEREMIN, p. 199 sqq. Cff. dicta Part. I. cap. 3. § 33, 39.

corum atque Oratorum libris colligunt, aut ingenii fatigatione inveniunt: quibuslibet vero bonis ipse pietatis ac virtutis ardor, animis inditus, suo loco ac tempore, vera illa praebebit eloquentiae lumina, quorum a pulchritudine contemplanda auditores rerum, quas contineant, magnificentia avertantur (†).

§. 48.

Sed *Phantasiae*, ne luxurietur, frena injici, et *figurae ita usurpari debent, ut modus adhibeatur;* quod ab Oratore Sacro fit, si hoc in dicendi genere progredi desinit, quam primum se vel paululum refrigescere sentiat: modi vero tenendi immemores sunt, adeoque flammam auditorum pectoribus injectam exstinguunt, qui dictionem figuratam longius trahunt, quam sensus illius admonitio patiatur (*).

§. 49.

Cautionem illae maxime suadent figurae, quae vehementiores et audaciores sunt, et quarum in abusum ingenia foecundiora, si se temperare nesciunt, valde proclivia esse deprehenduntur, *Interrogatio*, *Apostrophe*, *Exclamatio*, *Ironia:* de quibus igitur nonnulla sigillatim monenda videntur.

§. 50.

Multum vigoris et aculeorum orationi addit *Interro-*

(†) Sic jam egregie LONGINUS, cap. 17. Cff. GISBERT, p. 254, 255 et THEREMIN, p. 192 sqq.

(*) THEREMIN, p. 201.

rogatio, si sobrie ac prudenter, nec non in re perspicua et argumentis jam probata usurpatur: nam non solum causae partes ad auditores transfert, sed etiam, si ex pectore prodit commoto, ad eos commovendos egregie comparata est. Verumtamen duo cavenda sunt: alterum, ne quis crebrius, quam par est, hac figura utatur, quod et ejus efficacitatem comminuit, et varietatem dictionis tollit, et ipsius Oratoris vires nimis deterit; alterum, ne quis concionem ita interroget, ut rei alicujus dubiae aut incertae concessionem urgeat, aut uni alterive ansam sibi alta voce respondendi praebeat (†).

§. 51.

Longe audacior quam interrogatio est *Apostrophe*, orationem ab auditoribus nunc ad alios convertens ratione praeditos, nunc ad bruta et inanimata, quae per *Prosopopoeiam* ratione praedita esse finguntur. Haec utraque autem *Apostrophe* Oratore Sacro dignissima quidem est, sed non nisi in locis gravissimis atque admodum parce usurpanda. Nam uti haec figura, ex dicentis pectore et opportune expromta, hominum animos sursum erigit, vel stimulis acutissimis pungit; sic eam, si artificii prodit vestigia, auditoribus pro calore frigus afferre, et vel Oratorem ridiculum facere docet experientia (*).

§. 52.

(†) ERASMUS, p. 988. REINHARD, p. 177, 178. MAURY, Tom. I. p. 129. GROTEFEND, p. 204 sqq.

(*) ERASMUS, p. 1016. MAURY, Tom. I, p. 365, 366. Tom. II. p. 259, 260.

§. 52.

Similiter auditoribus frigus affert, vel ridiculum se facit Orator, si *Exclamatione* aliis utitur in locis, quam ubi animi sui affectio, aut tantae vehementiae est, ut eam oratio non capiat continuata; aut tam subito excitatur, ut orationi hujusmodi quaerendae vacare nequeat. Si autem ea hac opportunitate ex Oratoris pectore emanat, non aliter quidem fieri potest, quin in auditorum quoque penetret pectora: sed, uti vanus est et fallax homo, qui delectationis causa in *Exclamationem* exsurgit, ita aut frequenter exclamare, aut in re tenui et vulgari dementis est. Quapropter haec figura, et ab orationis abhorret partibus, quae nudam rei gestae narrationem continent, et ab omni exordio; nisi forte nova quaedam civitatis Christianae fortuna, prospera seu adversa, Oratorem ita affecerit, ut animo jam graviter commoto in concionem procedat (†).

§. 53.

Pervenimus denique ad *Ironiam*, cujus usu Oratori Sacro haud pauci interdicunt. Et sane CICERO, cum quadruplicem recenseat causam, cur *plane*, ut ait (*), *oratoris sit risum movere*, ingenio suo nimis indulsit: siquidem movendo risu et omnis orationis cursus retardatur, et affectio quaelibet in audi-

(†) ERASMUS, p. 988. TITTMANN, p. 294.
(*) *De Orat.* Lib. II. cap. 58.

ditorum animis jam excitata debilitatur. Attamen *Ironia* gravior, quae, cum ad vana opinionum commenta refellenda, tum ad effugia menti male sibi consciae eripienda, ex pectore indignatione accenso proficiscitur, tantum abesse videtur, ut ab oratione arcenda sit, ut insignem ei vim et efficacitatem afferre possit: adhibenda vero est cautio, ne vel in *Sarcasmum* erumpat, vel vitiositatem, quae semper odiosa haberi debet, faciat ridiculam (†).

§. 54.

Tertio in dictione oratoria requiritur, ut *numeris alligata* sit, quod quid sibi velit, alii aliter explicant. Brevitati forte et perspicuitati consultum erit, si numeros oratorios in verborum ac sententiarum concinnitate cerni dixerim (*).

§. 55.

Orationis numeris alligandae *Isocrates*, si minus primus, certe locupletissimus Graecis fuit auctor. Nec latent causae, cur ab illo tempore et Graeci hujus rei summopere studiosi fuerint, et postea Roma-

(†) GISBERT, p. 336 sqq. 351. DAHL; p. 310, 311. THEREMIN, p. 130 sqq. GROTEFEND, p. 199, 200. Ceterum multa eorum, quae de figuris breviter diximus, illustrabunt, praeter veteres Rhetoricos, PRIESTLEY, Part. III. Sect. 21 sqq. BLAIR, Tom. I. p. 396 sqq. SCHELLER, Tom. I. p. 96 sqq. Tom. II. p. 647 sqq. HOTTINGER, l. c. aliique.

(*) Cf. et hac de re, et de ceteris omnibus, quae ad *numeros oratorios* spectant, BLAIR, p. 363 sqq. SCHELLER, Tom. I. p. 262 sqq. nec non KAISER, p. 249 sqq.

mani, et omnium maxime CICERO (†). Recentiorum vero populorum linguis haec est natura et indoles, ut numeros non admittant eorum similes, qui in Veterum orationibus conspicui sunt.

§. 56.

Sed quatenus linguae vernaculae proprietas nemini adhuc obstat, quominus in oratione numeris alliganda imitetur Veteres; hujus imitationis ipsi negligentiori esse non licet: siquidem oratio, ut in auditorum penetret animos, iis placere debet; nulla vero hominibus vel minus excultis magis placere solet, quam quae numerosa est (*).

§. 57.

Novimus quidem, tantam oris et pulmonis esse diversitatem, ut eadem orationis series ab aliis magna cum facilitate, ab aliis non nisi aegre ac difficulter pronuncietur; unde necesse esse sequitur, ut orator quislibet in verbis sententiisque construendis sui rationem habeat: sed satis superque docet experientia, qui in flore aetatis eloquentiae operam navare incipiant, haud pauca naturae vitia emendare, et os suum ad omnes sonos edendos formare posse (§).

§. 58.

(†) ISOCRATES *contra soph.* Tom. I. p. 295. COR. DIONYS. *Halic.* Tom. II. p. 1 sqq. 94, 95. HERMOG. *de form. Orat.* Lib. I. cap. 12. LONGIN. cap. 39, 40. CICERO, *de orat.* Lib. III. cap. 44. coll. *Orat. ad Brut.* cap. 52. QUINCTIL. Lib. IX. cap. 4.

(*) GISBERT, p. 113 sqq.

(§) KAISER, p. 270 sqq. GROTEFEND, p. 192, 193.

§. 58.

Ita fatendum quoque est, judicium, num oratio aliqua numerosa sit, ab hominum praecipue pendere sensu; sed vel sic quidem non dubitamus, quin *regulae* quaedam sint *generales*, quas sequi oporteat, qui orationi suae eam inesse velint verborum ac sententiarum concinnitatem, ut affectio aurium nunquam non respondeat affectioni auditorum animis inferendae (†).

§. 59.

Et primum quidem *verbis* utendum est, *quorum soni*, et *bene concurrunt*, et *rebus ipsis conveniunt*. Alterum orationi inest, si literae tam consonantes quam vocales, quae varii soni sunt, ita inter se permutantur, ut sequentibus, neque illae repellantur, neque hae absorbeantur. Alterum vero cernitur, ubi ad rerum propositionem, quoad illud fieri potest, non solum verba adhibentur vulgo de iis usitata, sed etiam quae eas vi quadam naturali describunt; ut quae hominum vel animalium imitantur voces, tardiores item celerioresve corporum motus, leniores denique aut graviores animorum affectiones (*).

§. 60.

Deinde *sententia quaelibet ad Symmetriam quandam*

(†) Vives, p. 36 sq. Theremin, p. 105.
(*) Maury, Tom. I. p. 456 sqq. Grotefend, p. 218, 219.

dam instruenda est: ut identidem verba longiora et breviora, gravia et acuta se invicem excipiant: plura in membrum non cogantur, quam orator sine respiratione effari possit: *Protasis* et *Apodosis*, ubi concurrunt, sibi mutuo, sive longiore, seu breviore verborum serie quodammodo respondeant: sententia denique verbis, quae eam plenam et absolutam esse ostendunt, concludatur (†).

§. 61.

Denique *sententiae secum invicem ita copulari debent, ut certus quis orationi insit concentus.* Quod maxime fit, si sententiae, et nunc audiuntur longiores, nunc breviores, et ita desinunt, ut aliae syllabam *antepenultimam*, aliae *penùltimam*, aliae ultimam, nunc longam habeant, nunc brevem: cujus tamen varietatis studio regula, sententiarum conclusioni scripta, deserenda non est (*).

§. 62.

Sed ne haec monita in abusum vertantur, animadvertendum est, Oratori Sacro interdictum esse, ne in oratione numeris alliganda tam effusus sit, ut *ver-*

(†) Vulgo cognitum est illud *esse videatur,* CICERONI haud sine causa, sed frequentius tamen, quam par erat, usitatum: quod risit APER in *Dial. de caus.* etc. cap. 23. AUGUSTINUS autem hanc numerosam sententiarum conclusionem, quamvis ipse eam amaret, plerisque tamen hominum Christianorum scriptis deesse notavit, *de doctr. Christ.* Lib. IV. cap. 20. Ceterum cf. GROTEFEND, p. 210 sqq.

(*) §. 60. Cf. GROTEFEND, p. 221, 222.

versus edat. Multo minus vero ei *carmen* pro oratione *recitare* licet: quippe quo non solum haud pauca vulgaria, quae poëtam dedecent, poëtarum more dicere cogitur; sed quod in ipsum Oratoris officium incurrere supra ostendimus. Quin et illi homines, qui sibi placent *versibus*, vel suis, vel alienis, *orationi suae* frequenter *inserendis* vel *subjiciendis*, magis vituperandi quam laudandi esse videntur (†).

§. 63.

Praeterea duo religiose tenenda sunt: alterum, numeris affectatis vel longe quaesitis gratam illam, quam dicunt, omnino praestare negligentiam, qua singula ita collocentur, ut nulla se artis prodant vestigia, sed res ipsa verborum et sententiarum concinnitatem peperisse videatur; alterum, graviter peccare Oratorem Sacrum, qui dictionis numerosae studio mentem a rebus Divinis, quae tractandae sint, cogitandis vel paululum averti patiatur; sed quemlibet hanc sibi quasi naturam facere debere, ut in rebus illis totus habitare, neque tamen aliter, quam numerose scribere aut dicere possit (*).

§. 64.

Explicanda nobis restat dictio oratoria, quatenus *pe-*

(†) CICERO, *de Orat.* Lib. III. cap. 44. *Orat. ad Brut.* cap. 56. HERMOG. *de form orat.* Lib. I. cap. 3, 12. II. cap. 4. Vid. ROQUES, p. 457. THEREMIN, p. 202 sqq. Sed cf. QUINCTIL. Lib. I. cap. 8. et TZSCHIRNER, p. 238 sqq.

(*) CICERO, *de Orat.* Lib. II. cap. 34. GISBERT, p. 82 sqq. 117 sq.

pectoris plena est. Hoc igitur titulo dictionem laudamus ita comparatam, ut ab Oratore; et nihil aliud, quam de cujus veritate atque utilitate ei penitus persuasum sit, pro concione dici, et illud non solum officii, sed caritatis, qua Deum hominesque complectatur, salutisque communis causa dici, ipsi sentiant auditores (†).

§. 65.

Quod cum auditores sentiant; res ipsa loquitur, eos Oratorem vicissim magni facere, carum sibi habere, seque totos ei credere: unde existit ille animorum quasi concentus (*Sympathiam* dicunt), qua Orator ejusque auditores iisdem, tam motibus et affectionibus, quam votis et desideriis impleantur (*).

§. 66.

Hoc autem sensu imbuuntur auditores, si color dicendi cum eo convenit, qui amicorum veri nominis, de rebus maxime seriis inter se colloquentium, sermonibus inesse solet: ut igitur Orator identidem concionem vel partem ejus appellet, ad suam ipsius vel experientiam, vel conscientiam opportune provocet, et per totam orationem animum suum cum candore, libertate et fiducia explicet (§).

§. 67.

(†) Gisbert, p. 338 sqq. Schott, Tom. I. p. 179 sqq.
(*) Schott, Tom. II. p. 474.
(§) Schott, l. c. Ammon, p. 222 sqq. Dahl, p. 316, 317.

§. 67.

Verumtamen duplex adhibenda est cautio: altera, ne ille dicendi color ex familiari amicorum consuetudine orationi Sacrae induatur, supra quam ipsius ferat gravitas et majestas; altera, ne cui excidat cogitatio, dictionem pectoris plenam, nec studio aut arte acquiri, neque alii inesse posse orationi, quam quae ex ipso pectore proficiscatur (†).

§. 68.

Quarto denique ad *Biblicam* pervenimus *dictionem*, cujus usu Orator Sacer ab omni alio Oratore distinguitur: sed haec appellatio minus latina tantam habet ambiguitatem, ut ab ejus notione accurate explicanda incipere debeamus.

§. 69.

Nonnulli huc negotium referunt Literarum Sacrarum loca ad verbum excitandi (*): quod, quamvis necessarium est, ut res ab Oratore propositae divina auctoritate fulciantur, ad *Biblicam* tamen *dictionem* non pertinet; quoniam haec, et inesse potest orationi, quae omni caret loco ad verbum expresso, et contra haud raro desideratur, ubi magna locorum copia ita excitata est.

§. 70.

(†) MAREZOLL, p. 56 sqq. TITTMANN, p. 293. DAHL et SCHOTT, ll. cc.

(*) BLAIR, Tom. II. p. 249. FROSSARD, p. XXXV. aliique.

§. 70.

Neque hic movenda quaestio est, num Oratori Sacro impositum sit officium ita dicendi, ut ejus ex ore *eadem atque in Literis Sacris mens* spiret: nam et inter hanc Literarum Sacrarum et Oratoris Sacri concordiam, quam supra jam requiri probavimus (†), et ipsam *dictionem Biblicam* nulla intercedit necessitudo.

§. 71.

Sed *Biblica dictione* Orator Sacer utitur, si sententias in Literis Sacris reperiundas orationi suae inserit, et religionis Christianae doctrinas ipsis earum verbis proponit: quod utrumque ab Oratore Sacro plus una de causa postulandum videtur.

§. 72.

Et primum quidem, si nobiscum reputamus, Literas Sacras nobis, ut sentiendi et agendi normam haberemus, Divinitus datas esse, nemo non intelligit, *Oratorem Sacrum* auditores suos ad harum Literarum cognitionem ducere debere; atqui hujus officii pars quaedam et haud exigua sane ab eo expletur, si dictione *Biblica* utitur: quo alterum accedit, Oratorem nempe, ubi in rebus versatur imbecillitate humana superioribus, sibi ab errandi peri-

(†) Part. I. cap. 2. §. 21 sqq. Cff. GROTEFEND, p. 153 sqq. et vir doctus in Diar. s. cit. *Bijdragen tot de beoefening* etc. Tom. XIV. Part. 5. p. 749.

riculo certius cavere non posse, quam si res illas ipsis Scriptorum Sacrorum sententiis et verbis tradat (†).

§. 73.

Praeterea *concio hominum Christianorum* ita comparata est, ut ex hujus dictionis usu multum boni in eam redundet. Nimirum, Oratore ita praeeunte, auditores tanquam ad loca recurrunt, sibi, tum a pueris cognita et assueta, tum propter solatium, quod hinc antea in rebus dubiis vel afflictis acceperunt, amoenissima: deinde Literarum Sacrarum veneratio, pectoribus plerorumque indita, eos ad totam orationem cum veneratione audiendam impellit: quid? quod ad persuasionem, ut homines vere Christiani sint, nunc quasi ipsius excitantur voce Dei, cujus auctoritate si fulcitur oratio, non aliter fieri potest, quin ea ad absconditos animorum recessus aditum sibi patefaciat (*).

§. 74.

Et *ipsi illi Literarum Sacrarum dictioni* haud dubie inest, quo suum usum Oratori summopere commendet. Omni enim virtuti Christianae formam induit pietatis, erga Deum praestandae; veneres habet, ex intima rerum humanarum ac Divinarum con-

(†) TITTMANN, p. 275 sqq. EGELING in libro, quem HERINGA hoc edit titulo: *Kerkelijke Raadvrager en Raadgever*. Tom. III. Part. 1. p. 21, 22.

(*) THEREMIN, p. 164. VAN BEUSEKOM, in libro exc. *Kerkel. raadvr.* Tom. II. p. 410. EGELING, l. c.

contemplatione exortas et cum nullis aliis comparandas; vegeta est, et animata, et gravitatis illius plena, cujus causa in afflatu Divino cernitur: ut igitur abstrusa quaevis et recondita tanquam oculis subjiciat; aures, supra quam dici potest, acuat; atque solis instar, lucem et ardorem uno eodemque radio ferentis, intelligendi et volendi facultates, *Phantasiam* et sensum simul afficiat, et mentes mortalium sursum evehat (†).

§. 75.

Sed ex his tamen non sequitur, dictionem *Biblicam* ubique ab Oratore Sacro usurpandam et vel substituendam esse pro dictione vitae communis: immo vero haec una, ut supra jam vidimus, per totam orationem Sacram regnare debet; quemadmodum et exemplum declarat JESU et *Apostolorum*, qui ipsi, cum populo colloquentes, vel orationem habentes, dictione vulgo trita usi sunt (*).

§. 76.

Quaestio igitur est, ubinam dictioni *Biblicae* locus pateat, vel non pateat; sed quid ad eam respon-

(†) GISBERT, p. 248. ROLLIN, p. 374 sqq. MAURY, Tom. II. p. 193 sqq. SCHRANT, p. 141 sqq. THEREMIN, p. 164, 165. VAN BEUSEKOM et EGELING, ll. cc. Legi quoque merentur CHRYSOST., *de Sacerd.* Lib. IV. c. 7. ISIDOR. *Pelus.* Lib. IV. Ep. 49. AUGUSTIN. *De doctr. Christ.* Lib. IV. cap. 5.

(*) MARZOLL, p. 158 sqq. TITTMANN, p. 276. *Bijdragen tot de beoefen.* etc. p. 752 sqq.

spondendum sit, in promtu esse videtur: si nempe dictio, et *Biblica*, et vulgo usitata, aeque *perspicuae*, *cultae* et *oratoriae* sint, huic illam esse praeferendam; si vero his nominibus inter se differant, praestantiori alteram cedere debere.

§. 77.

Itaque dictionem *Biblicam*, quae per se ambiguitate aut obscuritate laborat, vel extra orationem, quacum contexta est, collocata intelligi nequit, vel homines incautos facile in errorem ducit, vel ad falsa opinionum commenta propaganda in ore et sermone vulgi est, *perspicuitas* dictioni usitatae praeferre vetat, nisi debita ei adjiciatur interpretatio (†).

§. 78.

Cum *culta* dictione non constat *Biblica*, quae in decorum illud, cujus sensu nunc haud pauci CHRISTI sectatores feruntur, magis minusve incurrit; sive causa in vernaculae Literarum Sacrarum interpretationis vetustate residet, seu in hominum Orientalium, qui eas scripserunt, ingenio ad humanitatem non ita expolito. Sed quemadmodum tale dicendi genus cavendum est; sic ab altera quoque parte improbari meretur quidquid in usurpandis Literarum illarum sententiis et verbis affectatum et longe quaesitum est: inprimis longissime arceri debet turgida il-

(†) AMMON, p. 219 sqq. VAN BEUSEKOM, p. 413 sqq. EGELING, p. 17. *Bijdragen* etc. p. 762 sqq. Cf. DAHL, p. 17 sqq.

illa et insolita dictio, ex figuratis Veteris maxime Testamenti locis conflata (*linguam* vocant *Cananaeam*), quam multi olim, pars, ut superstitioni suae indulgerent, pars, ut ignarae plebeculae aures mulcerent, frequenter in ore habuerunt, hodie unus tantum et alter in ore habet (†).

§. 79.

Dictio denique *Oratoria Biblicam* ferre nequit, nisi Orator hac ita utitur, ut vernaculam Literarum Sacrarum interpretationem subinde paululum mutet et ad hodiernam dicendi rationem emendet: imagines autem ea aspernatur tam audaciores, quam sibi minus constantes; cujusmodi nonnullas his in Literis exstare, nemo mirabitur, qui eas, duce quidem *Spiritu Sancto*, sed ex parte tamen primis generis humani, vel postremis civitatis *Israëliticae* temporibus, et omnino sub calidiore coelo scriptas esse meminerit.

(†) VAN VOORST, *Oratio de populari religionis Christianae disciplina ex legitimae Sacrorum librorum interpretationis fonte praecipue haurienda.* p. 20 sqq. SCHRANT, p. 143, 144. VAN IJSSEKOM, l. c.



CAPUT V.

De Orationis Sacrae Actione.

Ad dirimendam quaestionem, quomodo Orator Sacer provinciam sibi demandatam administrare debeat, postremum consideranda est *orationis Sacrae Actio*: ab hac enim quantum ad auditoribus, ut homines vere Christiani sint, persuadendum pendeat, et rei natura docet, et ex eo jam intelligimus, quod Veteres actioni primas detulerunt (†). Mentem igitur attendamus ad haec *tria:* unde pro concione Sacra dicendum sit; quomodo sibi vox ipsa moderari debeat; qualem corporis oporteat esse motum (*).

§. 2.

(†) PLUTARCH. *Moral.* p. 845 A. XYL. CICER. *de Orat.* Lib. III. cap. 56 sqq. *Part. orat.* cap. 6, 7. QUINCTIL. Lib. XI. cap. 3.

(*) Veteres quidem *actionis* appellatione duo tantum significarunt, *vocem* et *motum*. Vide CICER. *Brut.* cap. 68 et *Orat. ad Brut.* cap. 17. Sed, re accuratius considerata, notionem ei tribuere maluimus paulo ampliorem, quam *recitationem* huc inducere, quae ad *lectores* pertinet. Quare quod supra pag. 71. scriptum est, ita velim corrigatur, ut pro *recitatione* legatur *actione*.

§. 2.

Quemadmodum viri docti inter se disputant, *unde pro concione Sacra dicendum sit*; sic etiam diversas hujus quaestionis tractandae ingrediuntur vias: sed rerum ordo postulare videtur, ut deinceps exigamus, utrum dicendum sit *ex tempore*, an *de charta*, an vero *ex memoria*.

§. 3.

Ex tempore dicit Orator Sacer, qui sine ulla, plus quam subitaria, praeparatione orationem habet, ut res et verba sibi de improviso in mentem veniunt: quod magni quidem fecerunt nonnulli Veterum (†); sed quotquot hanc dicendi rationem sequuntur, Oratoris Sacri titulo indigni sunt: quippe quem ab hac temeritate, et personae suae avocat gravitas, et aedium Sacrarum sanctitas, et Divinae, quam suscepit, causae majestas (*).

§. 4.

Neque hoc tantum per se vehementer improbandum est, sed etiam propter mala, quae hinc oriri solent: res plurimum vulgares, leves, adeoque nugas pro doctrina gravi in medium proferri; verba egeri tum abjecta, tum quae minus cohaereant, et vel sensu careant; auditoribus fastidium creari; ipsum Orato-

(†) Quinctil., Lib. X. cap. 7. ab init. *Dial. de Caus.* etc. cap. 6.

(*) Van der Waeyen, p. 154, 155. Gisbert, p. 304 sqq. Clarisse, p. 201 sqq. *Iets over eenige gebreken* etc. p. 72 sqq.

toris Sacri munus malevolorum ludibrio exponi atque in vituperationem adduci; quin etiam hominem, qui in flore aetatis hac prospera dicam? an adversa fortuna utatur, ut sibi inceptum illud semel iterumque ex voto succedere viderit, summo versari in discrimine muneris sui per totam vitam sordide et negligenter administrandi (†).

§. 5.

Quae cum ita sint, non impediunt auxilii Divini promissiones, in scriptis Novi Testamenti Oratori Sacro factae, quominus omnibus quam maxime dissuadeamus, ne ex tempore dicere, etiamsi hoc possint, unquam adsuescant: nam promissiones illae, quantum ad nostra spectant tempora, nullam aliam spem faciunt, quam Deum iis, qui ad dicendi munus bene peragendum nihil praetermiserint, *Spiritus Sancti* ope affuturum esse: leves vero et audaces homines sibi suaeque temeritati relictum iri existimamus (*).

§. 6.

Novimus quidem Oratori Sacro plus semel accidere, ut praeter spem et opinionem ex tempore dicere cogatur; sed nemini tamen auctor esse velim, priusquam his in angustiis versetur, periculi pro concione faciendi, num se expedire polleat: nam, uti haec periclitatio cum officio numquam remissius agendi con-

(†) Vide praeter scriptores s. ll. GAICHIÉS, p. 39, 40.
(*) GISBERT, cetorique §. 3. deinceps excitati.

constare nequit, sic procul dubio statuendum est, Deum O. M. si quando urgeat orationis sine praeparatione habendae necessitas, auxilio suo adjuvare omnes, quotquot cum fiducia in eo collocata opus illud arduum aggrediantur (†).

§. 7.

Oratoribus Sacris ex tempore dicentibus oppido stant adversi, qui, *de charta* dicentes, orationem pro concione legunt: quam dicendi rationem, inde a Sacrorum maxime instauratione, in Anglia receptam, atque hinc paulatim ad varias Europae regiones translatam, non solum popularium nostrorum plerique sequuntur; sed haud pauci etiam homines, si minus laudandam, at certe non improbandam esse judicant (*).

§. 8.

Et quis quaeso! tam durus et inhumanus sit, ut Oratoribus, vel senectutis onere gravatis ac debilitatis, vel muneri suo non ita pridem initiatis, et bis tamen vel ter per hebdomadem dicere jussis, vel necopinato in concionem vocatis, vel rerum molestissimarum cura occupatis, omni *orationis lectione* interdicat; aut eam ferre nolit in viris, de CHRISTI cau-

(†) Cff. praeter scriptores s. ll. BOERS, p. 45. MYNSTER, p. 320, 321.

(*) *Examen de la maniere de precher.* p. 88—96. TINGA in *Annot.* ad MARESZOLL, p. 216. CLARISSE, p. 208, 209. *Iets over eenige gebreken* etc. p. 14 sqq. Cf. SCHROECKH, *Christl. Kirchengesch. seit der Reformation.* Tom. II. p. 588.

causa egregie meritis et eloquentiae laude clarissimis? Verum illud excusandum vel condonandum, minime probandum esse, nisi omnino fallimur, certo certius est.

§. 9.

Jam *primum* orationis Sacrae lectio in ipsius rei incurrit naturam; quae nempe ab Oratore postulat, ut in oratione habenda aeque ac praeparanda vitae communis imitetur consuetudinem: quod, cum nec Literarum Sacrarum interpretationem, nec doctrinae alicujus demonstrationem ex libello recitandam esse arguit; tum praecipue valet adversus eos, qui admonitione, reprehensione, vel consolatione auditoribus legenda animorum inflammationem ipsi reprimunt. Atque hujus repugnantiae sensus quondam movisse videtur bonos quoslibet, qui ceteram orationem diligenter elaboratam memoriter ediscebant, hanc vero partem tempori relinquebant (†).

§. 10.

Argumento ex rei natura petito accedit *alterum*, quod nobis praebet exemplum Oratorum, eloquentiae suae vi et efficacitate supra alios celebratorum, quos orationem pro concione nunquam legisse constat. DEMOSTHENEM et CICERONEM non solum volumus, sed BASILIUM etiam, CHRYSOSTOMUM,

AU-

(†) TITTMANN, p. 298, 299. DAHL, p. 357. CLARISSE, p. 308 sqq.

AUGUSTINUM, nec non LUTHERUM, CALVINUM, et viros eorum similes. Memoria quoque renovetur majorum nostrorum, quorum vestigiis insistere nobis quidem nepotibus, propter mutationem, quam orationis Sacrae subiit forma, difficilius est, neque tamen viribus nostris superius (†).

§. 11.

Tertia causa, cur orationis Sacrae lectio improbanda sit, in ipsa cernitur actione: nam dici nequit, quam vehementer lectione illa Orator cohibeatur, quominus et vocem argumento suo accommodate regat, et eorum, quae proponit, naturam et indolem quasi vultu, oculis, manibus, totius corporis gestu adspectabilem faciat, et auditores suos mediam in rem rapiat (*).

§. 12.

Denique cum lectio orationis Sacrae hominum vulgo displiceat, et ita quidem, ut omnibus fere per omnes terras mens una eademque sit; communis aliquis esse videtur veri rectique sensus, quem in judicando sequantur: sed quidquid hujus rei est; quemvis bonum ab orationis lectione, si pote, jam avertere debet persuasio, eam multitudini offensioni, atque ideo impedimento esse, quominus Ora-

(†) TITTMANN, p. 296.
(*) AMMON, p. 236, 237. TITTMANN, p. 297, 298. SCHRANT, p. 79.

Orator tantum prosit auditoribus, quantum iis prodesse possit (†).

§. 13.

Nihil aliud igitur Oratori Sacro restat, quam omnem navare operam, ut dicat *ex memoria*: quod agitur, sive quis *res tantum praecipuas*, quae dicendae sunt, *ante meditatas memoriae mandavit*, seu *totam orationem*, *literis consignatam*, *ad verbum didicit*. Utrum autem utri praeferendum sit, nonnulli viri docti dijudicare verentur (*).

§. 14.

Si ad Graecorum et Romanorum, quotquot civitatem liberam viderunt, tanquam tribunal causa defertur; nulla controversia superesse potest. Hi enim rebus et haud raro verbis quoque commentandis et memoriae mandandis se ad dicendum praeparare consueverunt, interdum scriptum aliquod in dicendo attulerunt, totam vero, priusquam habita erat, orationem non scripserunt: neque igitur aliis assiduam commendarunt scriptionem, ut orationem brevi habendam literis consignarent; sed ut stilo, optimo et praestantissimo dicendi effectore ac magistro, se ad eloquentiam informarent (§). Ab AUGUSTI autem ae-

(†) TITTMANN, l. c. CLARISSE, p. 211 sqq. MYNSTER, p. 315. Leg. etiam Anonymus in libro: *Magazijn voor den openlijken Godsdienst*. Tom. II. p. 172 sqq.

(*) BLAIR, Tom. II. p. 251, 252. FROSSARD, p. XXXVII.

(§) Secum mutuo comparanda sunt loca CICERONIS, *de Orat.* Lib. I.

aetate, cum, eversa Republica, eloquentia veri nominis deflorescere incepisset, haud pauci totam orationem scripserunt et memoriter didicerunt (†): quod postea ad sectatores CHRISTI pro concione dicentes translatum est; quamvis et horum plerique, satis longo tempore, Graecorum et Romanorum veterum vestigia secuti sunt.

§. 15.

Neque hoc mirabitur, qui animadverterit: non solum naturae humanae convenienter agi, si quis de rebus ante meditatis ita dicat pro concione, ut eas, et memoriter repetat, et verbis tempore enatis; sed ex illa etiam dicendi ratione plurimum boni redundare, quod aliunde vix sperandum sit. Orator enim, hanc viam ingressus, nullum artis prodendae periculum subit; frigus illud arcet, quod verbis scrupulose exquirendis in scriptam orationem facillime importatur; cursum eo dirigit, quo ipse auditorum vultus habitusque tendendum esse monet; quin etiam, pectoris ardore incitatus, in gravissimas et elegantissimas incidit dicendi formas et sententias, quas inter scribendum nunquam inventurus fuisset (*).

§. 16.

Lib. I. cap. 5, 33. III. 49. *Brut.* cap. 24. PLUTARCHI, *Mor.* p. 803, 804. Cff. FENELON, p. 88, 89 et MYNSTER, p. 319, 320.

(†) QUINCTIL., Lib. X. cap. 7. XI. 2.

(*) Nemo hanc causam melius tuitus est, quam FENELON, p. 82 sqq. Addatur KIRSTEN, in libro: *Nieuwe Bijdragen ter bevordering van de kennis en verbetering van den openbaren eeredienst* etc. Tom. II. p. 606 sqq.

§. 16.

Jure igitur meritoque Viri docti Oratores Sacros excitant, ut sibi facultatem de rebus ante meditatis memoriter dicendi comparare conentur (†). Quo melius autem hi conatus iis ex voto succedant; lineamenta orationis, quae habebitur, non solum cogitatione complectenda, sed etiam in chartam conjicienda, deinde memoriae infigenda, denique pro concione populi ita producenda videntur, ut tota oratio ex eorum amplificatione enascatur.

§. 17.

Verumtamen, ne quis, Graecos et Romanos veteres sibi hanc viam praeivisse videns, fortasse audacior sit, sedulo monendum est, his viris longe minus labendi fuisse periculum, quam Oratori Sacro horum temporum immineat. Primum enim mens hominis non tam celeriter ab orationis civilis, quales ab illis habitae sunt, quam Sacrae argumento ad aliena abstrahitur. Deinde si quis olim inter dicendum ab eo, quod verum, pulchrum et honestum est, imprudenter aberrabat; hunc statim concio murmurando, aliisque offensionis indiciis, in viam revocavit: nunc vero in aedibus Sacris sibi suisque erroribus nemo non relinquitur. Denique Veteres, qui ad dicendum procederent, a juventute multo ma-

gis

(†) Mosheim. Tom. II. p. 146, 147. Clarisse, p. 207. Schrant, p. 82 sqq. Schott, Tom. II. p. 481, 482. Munster, p. 319 sqq.

gis ad negotium illud instructos et exercitatos fuisse constat, quam vulgo homines sunt recentioris aetatis (†).

§. 18.

Et haec ipsa habet dicendi ratio, quae ei minus faveant. Nam, uti in nulla alia oratione, quam in diligenter scripta, omnes illae, quas ejus materiae, formae, partibus et dictioni constituimus, observari possunt regulae; ita, quisquis res tantum praecipuas orationis, sive scriptis, seu non scriptis lineamentis, meditatur, tanquam incerto se credit mari, ubi multos, et suae famae jacturam facere, et spem auditorum fallere, satis superque docet eventus: quod enim paucissimi mentis praeclarae viri probabiliter et vix omnino bene pro concione Sacra perfecerunt, longe superat homines mediocris vel etiam exigui ingenii atque doctrinae, quales plurimos, uti in aliis civitatis muneribus, sic in Oratorum quoque Sacrorum ordine esse novimus. Accedit eos, qui hinc incipiant, ad levem illum ex tempore dicendi morem, qui circulatoris impudentis, non Oratoris Sacri est, recipiendum procliviores esse (*).

§. 19.

Multo melius fortasse agere putabunt, qui orationis an-

(†) Tzschirner, p. 249, 250.

(*) Mannes, in libro, cui titulus: *Göttingisches Museum der Theologie und Literatur.* Tom. I. part. 1. p. 150 sqq.

ante meditatae lineamenta, literis consignata, priusquam dicere inceperit, oculis subjiciat, ut hac scriptione tanquam filo utatur sibi sumto, ne a via deflectat. Et sane hoc filo duce non solum ipse Orator tutior, sed etiam, si officio suo bene fungitur, hominum minus excultorum concioni haud minus utilis erit, quam oratione, quae a capite ad calcem conscripta est, pro iis habenda: ne dicam hanc optimam videri viam se idoneum faciendi ad Oratoris Sacri munus illustriore in loco satis laudabiliter administrandum, etiamsi quis orationis diligenter elaborandae tempore praeter spem et culpam caruerit (†).

§. 20.

Sed haec dicendi ratio in abusum vertitur, si Orator Sacer officio satisfactum putat lineamentis orationis conscribendis, et, si in concionem venerit, ante oculos ponendis; nec res tractandas memoriae mandat, aut domi sedulo perpendit, quomodo scriptum suum sequi debeat: deinde, si cautionem adhibere negligit, ne minores partium divisiones, ad memoriae succurrendum lineamentis illis adjectae, sed ab auditoribus occultandae, concioni ostendantur: denique, si in ea usurpanda tam frequens est, ut raro vel nunquam totius orationis conscribendae laborem suscipiat.

§. 21.

(†) Clarisse, p. 206 sqq. *Bijdragen tot de beoefening* etc. Tom. VI. p. 364.

§. 21.

Quemadmodum vero hunc in abusum facillime incidit Orator Sacer, qui res ante meditatas ad lineamenta sibi proposita memoriter repetit; sic et illi ipsi observatio regularum, orationi supra constitutarum, longe difficilior est, quam aliis, quotquot *omnia*, ut pro concione memoriter dicant, *scribere et ediscere solent*: his enim tum scribendi negotium, paulatim procedens, occasionem praebet singula, et praesertim quae ad dictionem pertinent, accurate perpendendi; tum iterata quaevis repetitio nova commonstrat, si minus lumina, quae orationi addantur, at vitia saltem, quae corrigantur (†).

§. 22.

Plura hinc insuper oriuntur bona: mentem rerum perceptarum copia magis magisque locupletem fieri; facultatem verba et sententias, prouti tempus postulet, celeriter inveniendi acquiri; sensim sensimque dictioni certum et sibi proprium colorem aptissimo modo indui; ipsam adeo memoriam, praestantissimum Dei donum, corroborari et amplificari; parari denique, quod subsidio sit, si quis oculis captus, vel senectute attritus, pro concione dicere cogatur (*).

§. 23.

(†) Gaichiès, p. 39, 40. Mannes, p. 156 sqq.

(*) Niemeyer, p. 199 sqq. Ammon, p. 236 sqq. Tittmann, p. 296 sqq. Dahl, p. 357 sqq.

§. 23.

At nobis occurrere video, qui opponant: ab Oratore Sacro totam orationem memoriae mandante, atque inde repetente, laborem suscipi vere Herculeum; multum temporis sine causa perdi; animi vires enervari; illud omnino agi, quod dicentes saepissime a proposito avertat et confundat: haec vero et hujusmodi plura partim fugienda non sunt ab homine, officii sui studioso; partim multo gravius premunt Oratores aliam viam ingressos; partim denique, non ex ipsius rei, quam proposuimus, usu, sed ex ejus abusu oriuntur (†).

§. 24.

Tria tamen teneantur; et primum quidem, omnia memoriae firmiter infigenda esse, ne, ea haesitante aut vacillante, series orationis inter dicendum rumpatur, vel ipsi certe actioni vis et efficacitas detrahatur: alterum, ita dicendum esse, ut ne auditores orationem ex memoria repeti sentiant; quod valde abhorret ab infantia eorum, qui dicunt puerorum instar, in schola recitantium, quae domi didicerunt: ter-

(†) NIEMEYER, p. 198, 199. AMMON, p. 232 sqq. TITTMANN et DAHL, ll. cc. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, p. 79, 128, 129. *Magazijn voor den openlijken Godsdienst.* l. c. Ceterum qui opinantur, memoriam suam infirmiorem esse, quam ut totam orationem capiat, errorem suum plerumque deprehendent, si modo vires suas experiri inceperint. Et quantum vel infirma memoria exercitatione corroboretur, exemplum docet, et aliorum, et REINHARDI, l. c. p. 79 sqq.

tertium, quamvis tota oratio comprehendatur memoria, Literas Sacras tamen cum auditoribus evolvendas et legendas esse, si excitetur locus quis, aut majoris amplitudinis, aut qui ad caput aliquod orationis probandum pondus et momentum habeat plane singulare (†).

§. 25.

Rationem igitur ita concludimus: *ab omni Oratore Sacro memoriter esse dicendum;* sive res ante meditatas easque vel scriptas, vel non scriptas, verbis repetat pro tempore natis; sive lineamentis orationis ante oculos positis utatur; seu totam orationem literis consignatam, quemadmodum eam didicerit, pro concione habeat: hoc vero postremum tanti esse, ut cum illis, si quis ea vel eorum alterutrum more receperit, identidem permutandum; viris, illustriori loco praefectis, insigniter et ut nihil supra commendandum; ab hominibus novis et dicendi nondum peritis, pro minus exculta etiam concione; nunquam non religiose servandum sit (*): neminem autem, etiamsi orationem vel lineamenta inde excerpta, securitatis causa, oculis subjiciat et subinde inspiciat, officio liberari posse omnia tam diligen-

(†) ERASMUS, p. 955. GAICHIÈS, p. 38. VAN DER WIJEN, p. 153. TITTMANN, p. 300. CLARISSE, p. 222, 223.

(*) Legantur praeter CLARISSIUM ceterosque omnes, quos inde a §. 16 excitavimus, BLAIR, p. 252. KONYNENBURG, p. 176 sqq. MAREZOLL, p. 216. MAURY, Tom. II. p. 260 sqq. COQUEREL, *sermons*. 1828. Praef. p. 13.

genter memoria repetendi, ut auditoribus ex pectore dicere videatur (*).

§. 26.

Altera, quae nunc sequitur, quaestio, *quomodo sibi vox ipsa moderari debeat*, multo gravioris hac in disciplina ponderis est, quam vulgarium hominum leve censet judicium. Recta enim vocis moderatio insigniter ad id confert, ut auditores mentem Oratoris intelligant, ab ejus ore cum voluptate pendeant, et rerum, quae ab eo tractantur, vim et pondus intrinsecus sentiant; quae tria ad illis persuadendum, ut homines vere Christiani sint, necessaria esse vidimus (§).

§. 27.

Sed hanc quaestionem ab initio repetere atque ita excutere, ut omnium desideria expleantur, si quis hominum possit, negotium tamen est longioris seriei, quam angusti capiunt hujus libri fines. Fidem igitur liberare nobis videmur, si *regulas* proponimus *generales*, quarum tanquam fundamento nitatur, quidquid viri docti Oratori Sacro praescripserint (†).

§. 28.

(*) GISBERT, p. 311 sqq. BLAIR, p. 253. CLARISSE, p. 215, 216. SCHRANT, p. 80.

(§) GISBERT, p. 291 sqq. JACOBI, p. 151 sqq. inprimis EWALD et CLARISSE, p. 84 sqq.

(†) Rhetorici veteres, si excipiuntur CICERO *de Orat.* Lib. III. cap. 56 sqq. et QUINCTIL. Lib. XI. cap. 3. nobis posteris nihil, quod data opera scriptum est, de *voce Oratoris* tradide-

§. 28.

Ad hujusmodi regulas constituendas, communi omnium judicio, circumspicere necesse est, *quid sibi natura postulet* (*): hanc autem ingressi viam docebimur, Oratorem Sacrum voci suae ita moderari debere, ut ea et suo loquendi modo, et rei tractandae, et ipsi, in quo dicit, loco convenienter edatur (§).

§. 29.

Orator Sacer *convenienter suo loquendi modo* pro concione dicit, si voci suae naturalem sibique in consuetudine familiari usitatam dat flexionem: quod uti omnibus necessarium esse, qui et bene, et cum voluptate, et haud sine fructu audiri velint, res ipsa docet, atque experientia testatur; sic, qui vocem aliter pro concione edunt, quam in vita communi, si ineptiam suam suo ipsi sensu minus animadvertunt,

derunt: sed multo diligentiores fuere homines recentiores. Vide FRANCIUM, *Eloquentiae exterioris specimen primum* et quos laudat *Praef.* p. 23 sqq. nec non *specimen alterum.* Post FRANCIUM haud pauci hanc rem magno persecuti sunt studio: illorum autem, qui Rhetoricae tradendae operam dabant, nemo eam prorsus praetermisit. Vide scriptores excitatos a NIEMEYERO, p. 205, 206. THYM. p. 141, 142. DAHL. p. 365, 366. KAISER. p. 312, 313: qui et ipsi una cum aliis infra laudandis lectu digni sunt.

(*) Legatur instar omnium RAVII *oratio, de natura, optima Eloquentiae Sacrae magistra:* quae oratio elegantissima cum multis quoque eorum, quae supra a nobis dicta sunt, conferri meretur.

(§) Haud dissimili modo hanc quaestionem tractavit VAN DER WAEYEN, p. 155 sqq. Cf. et BAUER, p. 95.

tunt, eam ex aliis vel ex eventu scire poterunt (†).

§. 30.

Et primum quidem ab eo, quod sibi naturale et vulgo usitatum est, haud impune discedunt Oratores, pro concione minus dicentes, quam *declamantes:* hinc enim plerumque fit, ut vocem edant, quae hominum aures, licet verba intelligant, frustra praetervolet, atque sibi solis loquantur (*). Ne quis autem in Veterum quaerat exemplo, quo hanc causam tueatur, bene notandum est, eos ad vocem quidem exercendam domi vel in scholis, ipsumque adeo DEMOSTHENEM, ut fremitum voce vincere assuesceret, ad fluctum declamasse (§); neminem vero ita egisse pro concione, nisi in adversarium forte acrius inveheretur.

§. 31.

Similiter peccant, qui orationem, sententiis singulis aequali vocis modulatione concludendis, *cantare* solent. Quod si quis forte CICERONIS, *cantum quendam obscuriorem* Oratori praescribentis (‡), auctoritate fulcire velit; hunc animadvertere jubemus,

(†) EWALD, p. 188 sqq. aliique.

(*) GISBERT, l. c. DUBROCA, *Traité des intonations Oratoires.* p. 109, 109. CLARISSE, p. 198, 199.

(§) CICERO, *de Finib.* Lib. V. cap. 2. Ceterum declamationem domesticam et scholasticam nemo melius exposuit, quam FRANCIUS, in *duabus orationibus de ratione declamandi.* l. c. *specim. alt.* p. 111 sqq.

(‡) *Orat. ad Brut.* cap. 18.

mus, cantationem, quam improbamus, ab hoc cantu obscuriore tam longe differre, ut QUINCTILIANUS, ipso praeeunte CICERONE, dum alterum laudat, alteram vehementer reprehendat: deinde Veteribus, propter vulgarem loquendi morem et ipsam sermonis Graeci et Latini indolem, in dicendo usitatum fuisse, quod hominibus recentioris aetatis non liceat; denique omnem Oratorem cantantem, teste experientia, voci suae quasi nervos praecidere, et auditorum, quos ad audiendum excitare oportet, haud paucis injicere soporem (*).

§. 32.

Hinc nemo non intelligit, sedulo quoque cavendam esse Μονοτονίαν, quae ab orationis cantatione, quamvis eam saepissime inducit, hactenus tamen diversa est, quod, omnia una eademque oris flexione pronuncians, vel umbram varietatis tollit: varietate autem sublata, ipse Orator non solum continua laboris mutatione non reficitur; sed auditoribus etiam magnus attentionis et ardoris stimulus adimitur, et tanquam *Medusae* caput, homines in saxa convertens, ostenditur (§).

§. 33.

(*) REYBAZ in TZSCHIRNERI libro, cui titulus: *Memorabilien für das Studium und die Amtsführung des Predigers.* Tom. I. part. 2. p. 182. CLARISSE, p. 242, 243. GROTEFEND, p 234, 235.

(§) ERASMUS, p. 958, 959. DUBROCA, p. 18 sqq. REYBAZ, p. 172, 181 sq. EWALD et CLARISSE, p. 232 sqq.

§. 33.

Ab altera parte ingratam et vel inutilem orationem reddit *affectata* illa *verborum et sententiarum pronuntiatio*, quae vel ex negligentia in consuetudinem abit, vel ex singularis alicujus aut urbanitatis, aut pietatis simulatione existit; sed quae tanto magis fugienda est, quanto certius constat, Oratorem, qui voce sibi naturali bene utatur, nihil in dicendo desideraturum esse (†).

§. 34.

Sed haec monita non ita intelligenda sunt, ac si vitia, quibus vox in consuetudine familiari laboret, ab Oratore Sacro, si pro concione dicit, retineri debeant: immo vero certissimum est, haud paucos hominum talia aut natura habere, aut usu sibi contrahere, ut orationis efficacitati vehementer obstent, nisi prudenter corrigantur. Qua de causa Oratorem *vitia*, sive arteriae musculisque *innata*, seu extrinsecus *adscita*, quoad fieri possit, sic corrigere oportet, ut, primum, pro concione vocem edat *puram*, id est, a *Provincialismis* et *Soloecismis*, qui dicuntur, nec non a plebis absona locutione liberam; deinde, *claram*, id est, omnes literas syllabasque, tam ad sententiarum finem, quam ab initio, bene ac distincte pronunciantem; porro, *gratam*, id est, ad numeros orationis, quantum dicendi

(†) Cf. FRANCIUS, *Specim.* I. p. 188.

di fert negotium, modulatam; denique *medium* illud, quod unicuique voci inest, adeo *tenentem*, ut pro re nata gravior, elatior, celerior, et contra magis tenuis, depressa et retardata fieri possit (†).

§. 35.

Haec de Oratore Sacro, suum loquendi modum sequente. Sed ad auditoribus persuadendum voci suae ita quoque moderari debet, ut *conveniat cum re tractanda*. Quemadmodum enim haec convenientia orationi lucem, gratiam, vim et efficacitatem affert; sic ex vocis et rei discrepantia oritur obscuritas et quodcunque detrimentum ea importare solet.

§. 36.

Jam vero vocem, ubi verborum et sententiarum pronuntiatio argumenti, quod iis continetur, naturae respondeat, cum re tractanda convenire, satis exploratum est. Quomodo autem altera alteri singulis in locis respondere possit, viri docti copiose ostenderunt. Hujus vero instituti brevis tantum esse videtur commonstratio, ubinam graviore, elatiore, celeriore, et contra magis tenui, depressa et retardata voce utendum sit (*).

§. 37.

(†) AMMON, p. 244 sqq. TITTMANN, p. 313 sqq. DUBROCA, p. 109 sqq. REYBAZ, p. 174 sqq. EWALD et CLARISSE, p. 127 sqq. 183 sqq. GROTEFEND, p. 224 sqq.

(*) Prae ceteris lectu digni sunt DUBROCA, p. 130 sqq. EWALD et CLARISSE, p. 254 sqq. ubi igitur illustratio eorum, quae §. 37 sqq. dicturi sumus, haud frustra quaeretur. Adde FRANCIUM *Spec.* I. p. 45 sqq. *Spec.* II. *Praef. Reg.* 14 sqq. qui osten-

§. 37.

Etiamsi omne supervacaneum ab oratione Sacra arceatur, nullam tamen sententiam continet, quin unum vel plura ei insint verba, quae emineant, sibique majorem quam cetera animorum poscant attentionem. Jam utrumque horum verborum genus, inter dicendum pro concione, distinguendum est. Ita et a ceteris distinguenda sunt, quae minus ad orationis pertinent seriem, quam in transitu eduntur. Haec igitur *tenuiore*, illa *graviore* (†), cetera vero *media* inter utramque *voce* pronunciari debent: ne mens Oratoris auditores lateat vel iis obscura sit. Sed, uti oris et intentioni et remissioni modus adhibendus est, ne aures offendantur, aut verba non intelligantur; sic etiam requiritur cautio, ne homines, alterutra alieno in loco posita, dictorum sensum pervertant.

§. 38.

Haud secus, in oratione habenda, res vulgares et sin-

dit quoque, quomodo singulae orationis Sacrae partes pronunciandae sint. Atque eandem viam ingressi sunt alii. Sed cum res omnis ab orationis argumento pendeat; paucissimae tantum, quae semper et ubique valeant, praescribi possunt regulae: has autem ipsas ex monitis nostris generalibus suo periculo petere, nulli lectori difficile erit. Apparebit itidem, in cantionibus concioni legendis, precibus faciendis, votis nuncupandis aliam edendam esse vocem, quam in oratione habenda: de quo uno hoc in libro agere nobis constitutnm est. Cff. EWALD et CLARISSE, p. 294 sqq.

(†) Alii vocem hanc graviorem *tonum* dicunt, alii *emphasin:* sed haec oris intentio bene discernenda est ab *accentu*, singulis vocabulis tribuendo, ut ex dictis §. 34 sequitur.

singulares, mentis et sedatae judicia et agitatae vota, ratiocinationes humanae et promissiones atque comminationes Divinitus annunciatae, et diversae omnino, quotquot in animo enascuntur, affectiones, ubi se invicem excipiunt, ita distinguenda sunt, ut, media voce inter *elatiorem* et *magis depressam* per orationem regnante, nunc haec, nunc illa pro ea substituatur: quod tamen nisi sensim et tanquam per gradus, nec non moderate et suo loco fit, orationi non solum perspicuitas, suavitas et efficacitas, quae ex recta distinctione in eam redundant, detrahuntur; sed hominum etiam aures animique magis minusve ab ea avertuntur.

§. 39.

Atque iisdem de causis verba, quae longiorem aut breviorem mentis cogitationem sibi requirunt, *celeriore* aut *magis retardata* voce a cetera oratione, cui media inter utramque inesse debet, distinguere necesse est: ita ut Orator Sacer citatiore tanquam passu procedat, si trita enarrat et vulgo cognita, vel concionem a majoribus ad minora ducit, vel vehementiore animi fertur affectione; contrariam vero mentis enunciandae rationem ineat, si auditoribus ignota quaedam aut mirabilia proponit, vel a minoribus ad majora cum iis adscendit, vel ex pectore minus agitato dicit. Sed cautiones supra memoratas hic etiam adhibendas esse, res ipsa loquitur.

§. 40.

Ne vero Orator Sacer utraque regulà a nobis proposita imprudentius abutatur, haec tertia iis adjungenda est: voci ita moderandum esse, ut *convenienter ipsi, in quo dicit, loco edatur.* Cernitur autem illa convenientia, ubi vox et ad aedium Sacrarum amplitudinem accommodata est, et ad earum dignitatem.

§. 41.

Ad aedium Sacrarum amplitudinem vox accommodata est, quae totam orationem ad auditorum tam remotiorum quam propiorum aures perfert. Hujus autem rei curam magis necessariam facit multarum aedium Sacrarum structura, si minus vitiosa, ad dicendum pro concione saltem non comparata. Jam vero curam illam habet Orator, si vocem ita regit, ut totum loci spatium, tam quod a tergo et lateribus, quam quod a fronte est, decurrat; et, quamvis a vitae communis non discedit mediocritate, firmiorem tamen ac robustiorem reddit; et per singulas denique tum sententias, tum orationis partes tam solerter dividit, ut organa loquendi, quomodocunque dicendum sit, officia sua praestare non recusent (†).

§. 42.

Intercapedines dicendi, quotquot verborum distin-

(†) TITTMANN, p. 309, 310. EWALD et CLARISSE, p. 162. sqq.

stinctioni inserviant, hoc nomine inter se differre, ut post incisa brevissimae, ad sententiae cujuslibet finem longiores, absoluta majore quadam orationis parte maxime longae faciendae sint, jam pueri in scholis docentur. Nec facile quis dubitaverit, quin omnino ad communem loquendi usum fieri debeant. Sed monendum videtur, eas in aedibus sacris, tum ne vox resonans ad confusionem eorum, quae distinguenda sunt, auditores inducat, tum ne ipse orator necessaria ad continuandam orationem respiratione careat, paulo magis quam in locis minoris amplitudinis producendas esse (†).

§. 43.

Aedium sacrarum dignitas sibi quoque eorum, quae supra attigimus, nonnulla postulat, et vocem praeterea tum animatam, tum decoram, tum modestam: adeo ut Oratore Sacro et tremula illa indigna sit ac submissa verborum pronunciatio, quae ex inconsulto timore oritur; et nimia aut vel absurda vocis naturarum rerumque, quae ab eo inducuntur, imitatio; et vehemens, quae circulatoribus atque histrionibus relicta est, clamoris effusio (*).

§. 44.

Postremum hoc in capite locum occupat disquisitio,

(†) Ubinam autem et quomodo faciendae sint *intercapedines*, docent ERASMUS, p. 962, 963. BLAIR, p. 346 sqq. aliique s. ll.

*) ERASMUS, p. 956 sqq. DUBROCA, p. 114 sqq. GROTEFEND, p. 239, 240.

tio, *qualem* in Oratore Sacro *corporis oporteat esse motum*: quo vocabulo, ad CICERONIS exemplum, omne illud denotamus, quod in oratoris corpore singulisque ejus membris cernitur, et quod recentiores maxime homines, vel *habitus gestusque* appellationibus distinxerunt, vel *actionem* κατ' ἐξοχὴν dixerunt (†).

§. 45.

Atque hunc *motum* ab eo sine dubio *faciendum esse*, qui orationem habeat, non solum intelligimus ex Rhetoricorum praeceptis, et eloquentissimorum omnis loci temporisque virorum exemplis; sed ex mentis etiam humanae natura, vita communi, et ipsius rei vi et efficacitate apparet: mentis enim nostrae natura ad cogitationes et affectiones internas, quas loquendo cum aliis communicamus, signis quoque externis declarandas tantopere impellimur, ut impulsioni resistere nequeamus; vitae autem communis contemplatio illud confirmat, cum omni sermone, et minus vivido, et praesertim vividiore, motum corporis conjunctum esse docens; ipsius denique rei vis et efficacitas tanta est, ut quae ore proferuntur illustret, corroboret animisque inculcet, et vel mediocritatem dicendi occultet (*).

§. 46.

(†) TITTMANN, p. 318, 319.
(*) CICERO, *Brut.* cap. 66. cf. GROTEFEND, p. 240, 241.

§. 46.

Nonnulli fortasse in eo, quod Orator Sacer sine corporis motu dicit, singulare aliquod aut gravitatis, aut pietatis indicium sibi reperire videntur; sed uti superstitione sua sibi fraudem fieri patiuntur, sic ab altera parte certissimum est, huic ipsi oratori nullo modo licere, ut naturae se opponat, morem vulgo receptum deserat, et orationis vim atque efficacitatem reprimat; ab altera dubitari nequit, quin illud, quod cujuslibet oratoris est ad humanitatem exculti, inprimis conspicuum facere debeat Oratorem Sacrum, res maximi ponderis auditoribus jussu Divino tradentem (†).

§. 47.

Haec vero non de omni et qualicunque corporis motu, sed de eo tantum dici, qui bonus et probandus sit, vix monere opus est: *bonum* autem *et probandum* judicamus *motum*, si et ipse naturam habet matrem, et in rem, quae agitur, quadrat, et Oratoris Sacri personae convenit.

§. 48.

Ipse naturam matrem habet motus, si ex intima rerum, quae dicuntur, conscientia proficiscitur, libere et simpliciter editur, et vocem verba efferentem comitatur: a natura vero motus abhorret, et affectatus,

(†) Gisbert, p. 322, 323. Ammon, p. 255, 256. Ewald et Clarisse, p. 367, 384, 385.

tus, et mensura exactus, et qui vocem, aut praecedit, aut pone sequitur (†).

§. 49.

Neque tamen satis est, motum naturam habere matrem, sed *in rem*, *quae agitur*, etiam *quadrare*, id est, ita comparatus esse debet, ut eam, quemadmodum voce proponitur auribus, sic auditorum oculis tanquam adspectabilem faciat. Quae cum una et praeclara omnis motus sit virtus, omnino reprehendi merentur, qui motus dant inanes et nihil significantes, aut rebus ipsis contrarios: quod utrumque a vera et nativa eloquentia alienum est (*).

§. 50.

Sed quamvis res plurimas inter et corporis motus magna intercedit necessitudo (§), fatendum tamen est, satis crebro rem dici, quae, motu carens sibi proprio, ejus formam oratoris arbitrio relinquat. Deinde animadvertere oportet, inter motus in rem quadrantes esse, qui vel Oratores Sacros dedeceant, vel ab iis omnibus non eodem modo fieri debeant. Quibus de causis omnes obligantur lege curandi, *ut motus personae suae conveniat* (§§).

§. 51.

(†) Francius, *Spec.* I. p. 55. gisbert, l. c. gaichiès, p. 52.

(*) Tittmann, p. 325, 326.

(§) Ewald et clarisse, p 391 sqq. grotefend, p. 243 sqq.

(§§) Tittmann, p. 319 sqq.

§. 51.

Alterum autem, quod Oratoris Sacri sibi postulat persona, ad ejus *morem*, *aetatem*, *indolem*, *stationem* spectat: si motus ab ejus arbitrio pendeat, constanter sequendam esse actionem, in vita communi sibi usitatam: si vero res ipsa motum praescribat, in considerationem venire, juvenis an senex sit, animum gerat excitatiorem an segniorem, splendido et augusto in templo, an in rusticana et exigua aede habeatur oratio: atque hinc motus regundi rationem esse petendam, ne quis confidentius aut timidius, lenius aut vividius, exilius aut magnificentius agat (†).

§. 52.

Ab *altera* parte Orator Sacer personae suae rationem habet, si motum facit *muneris sui dignitati* accommodatum, id est, decorum, moderatum, gravitate conditum, ipsius rei causa voci comitantem, persuadendi denique consilio inservientem (*): contra vero Oratore Sacro indignum est, motu corporis mollitiem effeminatam vel duritiem plebejam prodere, in saltus impetusque violentos erumpere, vehementissimis animi affectionibus concioni ostendendis terrores jacere aut effusam laetitiam parere, ad mi-

(†) GISBERT, p. 325. BLAIR, p. 358, 359. REYBAZ, p. 183, 184. EWALD et CLARISSE, p. 366, 381 sqq. GROTEFEND, p. 242.
(*) FRANCIUS l. c. p. 60. GISBERT, p. 296. AMMON, p. 260, 261. CLARISSE, p. 329 sqq. GROTEFEND, p. 257.

mimorum exemplum ipsum verborum sonum imitari et tanquam adspectabilem facere, actionis perpetuitate nihil ultra quam auditorum oculos sensusque capere, et mentes eorum a rerum pondere sentiendo avertere (†): quae sane ne viro quidem, sub illis ardentioris coeli tractibus, ubi hominum institutio haud raro per *symbola* fit, pro concione dicenti, multo minus Oratori Sacro harum regionum septemtrionalium licent, sed unis relicta sunt histrionibus, nihil aliud, quam in spectatorum *Phantasiam* sensumque agere studentibus (*).

§. 53.

Jam vero ad has regulas generales Orator Sacer, tum suggesti adscensum et descensum, tum totius corporis, quamdiu in dicendo versatur, habitum, tum omnem denique membrorum suorum gestum conformare debet (§). Quomodo autem hoc agendum sit, viri docti, QUINCTILIANO praeeunte, sigillatim ostendere conati sunt: sed, quamvis multum boni et praeclari scriptis eorum inest, non ubique tamen omnes ab iis, quorum observatio sine culpa praetermitti potest, aut nonnullis tantum Oratoribus convenit, generatim praecipiendis sibi cavere sciverunt (§§).

§.

(†) GISBERT, p. 322 sqq. GAICHIÉS, p. 46 sqq. TITTMANN, p. 326. REYBAZ, p. 184 sqq. CLARISSE, l. c.

(*) AMMON, p. 256 sqq MAURY, Tom. II. p. 266 sqq.

(§) GROTEFEND, p. 253 sqq.

(§§) Vulgo cognitum est SANLECQUII carmen *sur les mauvais ges-*

§. 54.

Nos quidem in hunc amplissimum campum excurrere brevitatis vetat studium. Quapropter, lectoribus ad aliorum scripta missis, de manuum, vultusque tantum motu nonnihil monere lubet, ut his tanquam *exemplis* regularum supra scriptarum usum commonstremus. Sed multo magis dicere poterimus, quid cavendum vel fugiendum, quam quid agendum sit.

§. 55.

Oratori Sacro ad causam agendam insigniter opitulatur motus *manuum*, cui tanta inest varietas, ut res praecipuas, sive docendi, monendi, corrigendi, suadendi, seu aliud suscipitur negotium, quasi oculis subjiciat, animisque imprimat. Sed motus ille naturae ipsique rei congruere debet, ut manus nec temere, nec coeco impetu, nec machinarum instar alternis extendantur, aut tanquam ad perpendiculum dirigantur, aut perperam tollantur, dimittantur, explicentur, contrahantur. Ita et evitandum est omne, quod a vita quidem communi non abhorret,

gestes de ceux, qui parlent en public, cujus novam editionem ad calcem libri s. l. procuravit BOERSIUS: sed lectione ejus non multum proficiet, qui antea legerit ERASMUM, p. 963 sqq. aut QUINCTILIANUM, omnium principem, a quo recentiores homines haud pauca petierunt. Praeterea vero in consilium vocari merentur KONYNENBURG, p. 183 sqq. 194 sqq. aliique infra laudandi. Plures memorarunt AMMON, p. 270. DAHL, p. 370. et KAISER, p. 326. cff. et MOSHEM. Tom. II. p. 161, 162. TITTMANN, p. 321, 322.

ret, sed Oratorem tamen Sacrum dedecet: cujus notae sunt erectio brachii in altum, et porrectio ejus in longum, ut lignum scindere vel natare velle videatur; nec non manuum plausus, frontis percussio, pectoris pulsatio, et similia plura (†).

§. 56.

Vultus autem, cum fidelissima mentis imago sit, dicentis amorem, odium, spem, metum, hilaritatem, tristitiam signis luculentissimis ostendit; atque ad easdem affectiones aliorum mentibus injiciendas maximopere confert. Quod tamen Oratori Sacro sperare non licet; nisi et rerum, quae ab eo dicuntur, naturam et indolem intrinsecus sentit vultuque exprimit, et oculos in auditores convertit. Unde apparet, quantum ponderis et momenti ad efficacitatem non solum habeat orationis et ipsius mentis concordia; sed quantopere etiam cavendum sit, ne quis oculos inter dicendum claudere, aut ad chartam adstringere, aut in aedium Sacrarum solo, vel superficie, vel columna aliqua figere consuescat. Ceterum uti inter verecundum concionis adspectum et inverecundum circumspectum multum interest; ita risus, ploratus, oculorum fulguratio, irae significatio et hujusmodi plura, quamquam ne optimum quidem virum

(†) Dicta illustrabunt et plura dabunt FRANCIUS, p. 54, 55. REYBAZ, p. 185 sqq. EWALD et CLARISSE, p. 365 sqq. GROTEFEND, p. 255 sqq.

rum in vita communi loquentem per se dedecent, ab Oratoris tamen Sacri persona aliena sunt (†).

§. 57.

Atque haec breviter dicta vim regularum supra propositarum satis ostendere videntur: nihil aliud nunc monendum restat, quam multa, quae in Veterum actione fuerunt, laterum fatigationem, soli pulsationem, pedum commotionem, accessum, recessum, alia, paulatim et ab eo maxime tempore, quo Oratores de suggesto arcte compacto dicere inciperent, partim bono, partim malo consilio, in desuetudinem abiisse.

(†) FRANCIUS, p. 52, 53. AMMON, p. 263, 264. REYBAZ, p. 177, 178, 188. EWALD et CLARISSE, p. 341 sqq. Ceterum de iis, quae hic tractavimus, praeter scriptores jam laudatos legi meretur ENGEL, *de kunst van nabootsing door gebaarden.*



PARS TERTIA.

OSTENDITUR,

QUAENAM ILLA SINT, QUIBUS ORATOR SACER AD PROVINCIAM SUAM BENE ADMINISTRANDAM PRAEPARETUR.

Commonstrato igitur modo, quo Orator Sacer Provinciam sibi demandatam administrare debet, nobis *ostendere* restat, *quaenam illa sint*, *quibus ad hanc Provinciam bene administrandam praeparetur.* Sed re considerata intelligimus, curam et laborem duobus esse impendenda: universo Oratoris Sacri muneri, et singulis orationibus ab eo habendis. Quare hanc *tertiam Partem* in *duplicem* distribuimus *Sectionem*, quarum altera *Praeparationem remotiorem*, altera *propiorem* tractabit.

SECTIO I.

De Praeparatione remotiore.

§. 1.

Remotiore, quam nobis volumus, *Praeparatione* Orator Sacer utitur, si non solum, antequam munus suum capessit, sed etiam postquam ei initiatus est,

si-

sibi omnia illa acquirere studet, quibus ad negotium dicendi bene peragendum atque auditoribus, ut homines vere christiani sint, persuadendum idoneus reddatur.

§. 2.

Quemadmodum Oratoris Sacri munus tantae et gravitatis et amplitudinis est, ut hujusmodi praeparationem sibi omnino postulet; sic haec praeparatio duo affert bona, quae maximi ponderis sunt: ut et ipse sine scrupulo pro concione dicere possit, et auditores fiduciam suam in eo collocare haud vereantur (†).

§. 3.

Quamvis autem ea corporis animique dotes et facultates, quae Oratori Sacro inesse debent, nemini, cui natura illas negavit, inspirare potest (*); tanta tamen virtute pollet, ut hominem omnium rerum bonarum rudem, metalli instar ex terrae visceribus effossi, imminutis vel deletis vitiis, quae inde a pueris

(†) ROQUES, p. 232 sqq. SCHOTT, Tom. I. p. 179 sqq.

(*) De *naturae*, quae dicuntur, *donis*, Oratori Sacro ad munus suum bene administrandum necessariis, hic agere nihil attinet. Legantur VAN DER WAEIJEN, p. 2 sqq. ROQUES p. 256 seqq. GAICHIÈS, p. 5 sqq. MOSHEM. *Over het ampt, de pligten en voorregten van eenen Evangeliedienaar.* p. 81 sqq. PLANCK, *Einleitung in die Theologische Wissenschaften.* Tom. I. p. 57 sqq. qui duo tamen in recensendis, quae Oratori Sacro necessaria sunt, non substiterunt, sed de omnibus monuerunt, quae in *Sacrorum antistite* et *Theologo erudito* requiruntur.

ris adscita sunt, ad muneris illius officia bene exsequenda acuat et expoliat.

§. 4.

Atque haec praeparatio tribus maxime constare videtur capitibus, nunc deinceps tractandis, ita tamen, ut brevitati studeamus. *Primum* igitur dicemus de disciplinis aliisque rebus ab Oratore Sacro cognoscendis; *deinde* de studio in ipsa arte oratoria collocando; *denique* de cura animi sui morumque habenda.

CAPUT I.

De disciplinis aliisque rebus ab Oratore Sacro cognoscendis.

§. 1.

Quod apud CICERONEM vult CRASSUS, ut Orator veri nominis in omni arte ac disciplina bene versatus sit (†), etiamsi probandum videatur, in hac tanta certe, quae nostris contigit temporibus, rerum discendarum amplitudine vim legis habere nequit; sed Oratori tamen, et qualicunque, et Sacro, ad munus

(†) CICERO, *de Orat.* Lib. I. cap. 13 sqq. cf. cap. 6. *Brut.* cap. 89 sqq. *Dial. de causs.* etc. cap. 30 sqq.

nus suum recte administrandum, *magno eruditionis apparatu* opus est (†).

§. 2.

Quamvis nempe experientia docet homines non nisi mediocriter eruditos, si naturalis quaedam et ingenii accedat bonitas et oris facunditas, plus semel satis apposite ad persuadendum pro concione dicere posse; tantum tamen abest, ut hoc saepe fiat, ut hujusmodi Orator sibi plerumque ab erroribus gravioribus cavere, cunctasque muneris sui partes bene explere nesciat.

§. 3.

Egregie igitur falluntur, qui eruditionem, cujus tanquam fundamenta in vita Academica ponenda sunt, Theologiae quidem Doctoribus vel Professoribus necessariam esse putant, Oratoribus Sacris non item; neque ipsi tantum falluntur; sed hac sua opinione sequenda damnum sibi pariunt, quod nunquam resarciri poterit (*).

§. 4.

Sed quo clarius haec eruditionis necessitas in oculos incurrat, *disciplinas et res alias ab Oratore Sacro cognoscendas* deinceps recensebimus. Ad duo autem referri possunt genera, quorum altero quae ar-

(†) TE WATER, *Orat. de Theologo erudito.* p. 14 et alibi.
(*) GAICHIÈS, p. 19 sqq. PLANCK, p. 121 sqq. BLAIR, Tom. II. p. 373 sqq.

argumenti Theologici sunt, altero reliquae omnes comprehendantur.

§. 5.

Si quis rogat, quaenam doctrinae *argumenti Theologici* ab Oratore Sacro cognoscendae sint; respondendum quidem videtur, ad Theologiae provinciam nihil pertinere, quin aliquid utilitatis ei afferre possit: sed praecipue tamen hic laudandae sunt Literarum Sacrarum interpretatio, Religio naturalis et Divinitus patefacta et Historia, quae dicitur, *Ecclesiastica* (†).

§. 6.

Omnium rerum caput in *Literarum Sacrarum* cernitur *interpretatione:* non solum enim harum Literarum auctoritate niti debet, quidquid de rebus Christianis pro concione dicitur (*); sed earum etiam interpretatio muneris Oratori Sacro demandati gravissima pars est (§).

§. 7.

(†) De his aliisque legantur HYPERIUS, *de Theologo, seu de ratione studii Theologici.* MOSHEM. *de Predikkunde.* Tom. II. p. 165. sqq. et SACK, *Waarde en schoonheid der Godgeleerdheid en van den geestelijken stand.* p. 25 sqq. Sed omnia, quae ibi monentur, hujus loci non sunt; quippe quae ad totum spectant antistitis Sacrorum munus: nos vero de ejus tantum agimus parte, quae in Oratoris Sacri provincia cernitur.

(*) Part. I. cap. 2. §. 12 sqq.

(§) Part. II. cap. 1. §. 60 sqq. Cf. praeter alios PLANK, Tom. II. p. 72 sqq. et D. G. NIEMEYER, *Verhandeling over den wasdom der Christelijke Leeraars, in kennis en ondervinding, naar de behoeften van onzen tijd.* p. 37 sqq.

§. 7.

Jam hujus interpretationis facultas non acquiritur sine linguarum, quibus Veteris Novique Testamenti Scriptores usi sunt, peritia: qui hac enim peritia caret, sensum Orationis, a loquendi usu pendentem, ipse et indagare et judicare nequit; eique nihil aliud superest, quam ut interpretes populares coeca fide sequatur.

§. 8.

Nec vero Oratori Sacro sufficit illam sibi mediocrem linguarum Orientalium et Graecae comparasse peritiam, ut virorum doctorum commentarios legere eorumque mentem probabiliter assequi possit: sed ejus peritia tantae esse debet amplitudinis, ut rationes et argumenta, quibus singulorum locorum interpretatio fulcitur, bene et subtiliter judicandi atque interpretum, ubi inter se discrepant, sententias accurate ponderandi negotium ne vires quidem ipsius superet.

§. 9.

Praeterea, quoniam saepe fit, ut commentarii, vel, faciliora loca annotationis mole obruentes, lectorem in difficilioribus impeditum deserant, vel unum certe alterumque, quod ad mentem Scriptorum Sacrorum ab omni parte intelligendam et exponendam requiritur, silentio praetermittant; Oratori Sacro quantivis erit pretii, sibi sensus orationis suopte acumine inveniendi acquisivisse facultatem.

§. 10.

Quid? quod Veteris Novique Testamenti interpretandi peritia Oratori Sacro non solum animum faciet ad mentis suae sententiam de Scriptorum Divinorum oratione libere et sine metu enunciandam: sed eum etiam, ubi bonos fortasse commentarios praesto non habet, aut his, uti par est, utendi caret tempore, ad scriptorum illorum verba et bene intelligenda et perspicue exponenda ducet.

§. 11.

Nondum diximus Oratorem Sacrum, quo magis in Literarum Sacrarum interpretatione versatus sit, eo interiorem his ipsis cum Literis contrahere familiaritatem: haec autem familiaritas ei et orationem inspirat doctrinarum Divinarum luce conspicuam, et idonea ad causam suam auctoritate Dei probandam suppeditat loca, et dictionis *Biblicae* opportune usurpandae viam et rationem monstrat (†).

§. 12.

Contra homines ad Literarum Sacrarum interpretationem minus paratos, etiamsi in verbis Veteris Novique Testamenti ex tralatitia, quae dicitur, *Versio-*

(†) Part. II. cap. 4. §. 69 sqq. Ceterum de utilitate, quae ex hac interpretandi facultate ad Oratorem Sacrum redundat, praeter Scriptores supra excitatos legantur VOORSTII et PALMII *orationes* II. Nonnulla etiam a nobis dicta sunt in *Oratione de Gramm. Litterarum Sacrarum interpretatione*, quae reperitur in *Ann. Acad. Lugd.-Bat.* Ann. 1827 — 1828. p. 13 sqq.

sione recitandis multi et assidui sint, nunc verae Christi doctrinae in Literis illis traditae tenebras obducere, nunc falsa, quibus causam tueantur, argumenta inde repetere, nunc Orationi dictionem, *Biblicam* quidem, sed ab ea alienam, inserere necesse est. Inprimis vero hujusmodi homines labuntur in loco, quem sibi tractandum sumserunt vel sumere debuerunt, pro concione explicando; siquidem ignorantia sua ex interpretis sui vernaculi verbis doctrinas vel admonitiones extorquent, quarum ne vel levissimum in archetypo appareat vestigium (†).

§. 13.

Quae cum ita sint, omnes viri juvenes, qui ad Oratoris Sacri munus adspirant, etiam atque etiam adhortandi sunt, ut ab eo tempore, quo ad Theologorum scholas transeunt, tum in penitiorem linguarum supra dictarum cognitionem, tum in *Hermeneuticae*, seu disciplinae interpretandi studium, tum in ipsam Literarum Sacrarum interpretationem tanta et industria incumbant et assiduitate, quantam sibi rei postulat difficultas (*).

§. 14.

(†) Lectu digna verba sunt HIERONYMI, *Opp.* Tom. IV. Part. 2. p. 571. *Bened.* Cff. ERNESTII *Opusc. Theol.* p. 233 sqq. TITTMANNI *Opusc. Theol.* p. 593 sqq. et VOORSTII *Orat.* p. 26 sqq.

(*) ROQUES, p. 287, 288. cff. ERNESTII *Opusc.* II. p. 252 sqq. Ceterum brevitatis causa silentio praetermisimus *Geographiam*, *Chronologiam* aliasque disciplinas, quae ab interprete Literarum Sacrarum haud sine damno ignorantur. Cff. ERNESTII *In-*

§. 14.

Post Literarum Sacrarum interpretationem hic in censum venit *Religio naturalis et Divinitus patefacta*, cujus ad doctrinas et narrandas, et confirmandas, et ad auditorum usum applicandas Oratorem Sacrum in concionem prodire, supra ostendimus (†).

§. 15.

Jam vero si quis doctrinarum illarum imperitus est, hunc eas nec pro concione narrare, nec confirmare, neque ad auditorum usum applicare posse sequitur; nisi libros hoc argumentum tractantes serviliter describat; quo et multum temporis frustra teritur, et dicendi libertas, Oratori Sacro necessaria, impeditur, et ipsa denique oratio tenuis et exilis efficitur.

§. 16.

Alia insuper mala ex hac doctrinarum ad religionem pertinentium imperitia oriuntur; haud raro nempe dicendi argumenta peti ex libris nullius vel exiguae fidei et auctoritatis, aut, qui sibi aliunde subsidium quaerat, se ipsum frustari, suaeque tandem fortunae relinqui: unde accidere solet, ut Orator Sacer in dicendo, nunc meras nugas expromat, nunc errores etiam turpissimos committat.

§. 17.

Institut. Interpr. N. T. Part. III. cap. 10. et BAUER, SALOMONIS GLASSII *Philol. Sacr. his temporibus accommod.* Tom. II. Sect. 2, p. 260 sqq.

(†) Part. I. cap. 2. §. 12 sqq. Part. II. cap. 3. §. 48 sqq.

§. 17.

Longe quidem lateque serpsit opinio, Oratori Sacro, cui populariter pro concione dicendum est; popularem doctrinarum illarum cognitionem ad munus suum bene administrandum sufficere: sed, quamvis lubenter concedimus, haud pauca in Theologorum scholis tractari, quae neminem in vulgus edere oporteat; haec ipsa tamen ab Oratore Sacro, ut bene ei succedat populariter dicendi negotium, sciri debent. Quin etiam *eruditam* illam in Oratore Sacro requirimus *cognitionem*, quae doctrinarum ad religionem pertinentium, tam causas et origines, et fortunas varias, et mutuas quasi cognationes, et pretium denique atque usum, quam naturam et indolem complectitur.

§. 18.

Certissimum nempe est, Oratorem Sacrum, qui hac erudita cognitione careat, religionis quoque doctrinas ab omni parte tradendi, Divinam earum auctoritatem subtiliter exponendi, necessitudinem, qua inter se connexae sunt, perspicue ostendendi, mutationes, quas subierunt, ab ovo repetendi, opinionum ab iis diversarum latebras detegendi atque in lucem edendi, vim denique earum et efficacitatem in hominum animos ab omni superstitione distinguendi negotio, etiamsi vel temporis postulet ratio, vel orationis argumentum, longe inferiorem esse: uti enim nullum, ex quo illa manent, in se habet fontem;

tem; sic omnino libros, de iis docte et copiose scriptos, adire, vel suum certe in usum, ut oportet, convertere nequit.

§. 19.

Insigniter quoque erudita doctrinarum illarum cognitio Oratorem Sacrum juvat, ut tam ab errandi metu quam periculo liber certusque sit, se auditoribus verum tradere; et hominum varii generis, ordinis, loci et conditionis, quales ad aedes Sacras congregantur, desideriis satisfacere possit: quod utrumque ei omnino necessarium est, ut apposite dicat ad persuasionem (†).

§. 20.

Haec autem *cognitio menti*, laboris perseverantia ac sedulitate, *firmiter infixa* atque in ejus tanquam penetralibus deposita esse debet, ut suo tempore inde expromatur. Nam qui paulo antequam, instituta examinatione, studiorum rationes reddendae erunt, memoriae properanter mandant quod sibi ad religionis doctrinas pertinere videtur, brevi illud amittent, similesque evadent eorum, qui omnia primoribus tantum labris gustaverint (*).

§. 21.

(†) GISBERT, p. 180 sqq. Cf. supra *Sect.* I. *de Praep. remot.* §. 2.

(*) Nonnulla eorum, quae §. 15. sqq. monuimus, explicabunt D. G NIEMEYER, p. 61 sqq. 100 sqq. PLANCK, Tom. II. p. 418 sqq. aliique s. ll. qui et lucem praebebunt dicendis §. 21 sqq.

§. 21.

Sigillatim *Religionis*, quae vulgo dicitur, *naturalis* cognitionem sibi eruditam comparare Oratori Sacro opus est, tum ut Literarum Sacrarum partes ac Theologorum sententias ad eam spectantes, si pro concione attingendae vel exponendae sunt, bene intelligat; tum ut doctrinas, quae in Veteri et Novo Testamento Divinitus traduntur, illustrare, corroborare, amplificare possit; tum denique, ut singularem religionis Christianae praestantiam, ubi haec agenda causa est, plenissima in luce collocandi vim habeat ac facultatem (†).

§. 22.

Hinc jam facile intelligitur, quanti, ad Oratorem Sacrum informandum, pendenda sit erudita ipsius *Religionis Christianae* cognitio, et utriusque quidem partis, quarum altera *Theoretica* sive *Contemplativa* dicitur, altera *Practica*, seu *Activa*.

§. 23.

Theoreticam sive *Contemplativam* religionis Christianae partem ad scholae diligentiam didicisse, Oratori Sacro vehementer prodest ad illud, quod in ea constans et perenne est, a rebus, quae ejus inter homines introducendae causa gestae sunt, pro concione distinguendum; deinde ad errores, qui hoc de argumento olim inter homines serpserunt atque etiam-

(†) Planck, Tom. I. p. 214 sqq.

etiamnum serpunt, diligenter coarguendos ac repellendos; denique ad quaestiones, quas homines pariter patricii et plebeji, urbani et rusticani, de eo, quod Christianum est, agitare solent, ita dirimendas, ut omnium bonorum animis quies et tranquillitas afferatur (†).

§. 24.

Ita et Oratorem Sacrum, ut bene pro concione dicat, praeparare debet disciplinae, quae *Practicam* seu *Activam* religionis Christianae partem continet, erudita tractatio: quippe qua sola idoneus redditur ad auditoribus data occasione ostendendum, quid inter Christianam morum doctrinam et Philosophiam moralem intersit; quantum haec illi et amplitudine, et perspicuitate, et vi atque efficacitate cedat; quonam necessitudinis vinculo singula inter se cohaereant hominis Christiani officia; quibusnam nominibus officiorum causae a recti et honesti incitamentis differant, et quae hujus generis plura sunt (*). Huc autem ingenuum etiam *Asceticae*, quam dicunt, referimus studium, quod Oratori Sacro ad auditores in pietate et virtute exercendos summopere opitulatur (§).

§. 25.

Tertio loco commemoranda est *Historia Eccle-sia-*

(†) Roques, p. 288, 289.
(*) Roques, p. 289 sqq. Reinhard, *Lettres*. p. 55 sqq.
(§) Maury, Tom. II. p. 234, 235.

siastica, quae *Ecclesiae* ita dictae, et internam, et externam conditionem inde ab origine repetit et exponit. Altera autem pars ejus versatur in rebus ante CHRISTUM gestis; altera continet, quae religionem et societatem spectant Christianam.

§. 26.

Historiae igitur *Ecclesiasticae* peritia Orator Sacer jam idcirco carere nequit, quia satis crebro ad argumentum, cujus haud exigua pars hinc repetenda est, pro concione tractandum vocatur. Deinde illa insignem ei praestabit opem, ut sibi aliisque hominibus de religionis Christianae veritate ac Divinitate firmiter persuadeat. Praeterea hujus disciplinae studium eum quasi manu ducet ad hodiernam, et hujus religionis formam, et societatis Christianae conditionem bene et judicandam, et concioni explicandam. Quibus accedit quod hac in disciplina exemplorum abundantia commonstratur, quomodo quis dicendi munere fungi debeat, ut auditorum animos, adjuvante Deo, illustret, emendet, solatio et vitae melioris spe recreet.

§. 27.

Haec vero non de qualicunque, sed de penitiore ac diligentiore *Historiae Ecclesiasticae* studio accipienda sunt: quippe quo uno rerum ante gestarum imagines clarae et ad vitam expressae animis repraesentantur; causae atque eventus earum ex caligine eruuntur et in lucem eduntur; et singula tam fir-

Q mi-

miter memoriae imprimuntur, ut Oratori inter meditandum, scribendum aut dicendum ultro occurrant (†).

§. 28.

De disciplinis argumenti Theologici satis monuisse nobis videmur: nunc *reliquas*, quae ab Oratore Sacro cognoscendae sunt, recensere oportet. Cujusmodi quidem recensioni difficultatem creat gravissimum virorum doctorum dissidium; sed spem tamen concepimus animo fore, ut *necessariis* et *utilibus* caute inter se distinguendis aequo cuivis judici satisfaciamus (*).

§. 29.

Et primum quidem studium *Philosophiae*, quae *Logicam*, *Metaphysicam*, *Historiam doctrinarum* et *Disciplinam moralem* complectitur, Oratori Sacro necessarium habendum est: siquidem illud ei, et rerum plurimarum praebet notitias, quae ad religionem Christianam ab omni parte intelligendam requirantur neque aliunde tamen accipiantur (§); et causae cujusvis subtiliter judicandae atque via et rati-

(†) D. G. NIEMEYER, p. 80 sqq. PLANCK, Tom. II. p. 185 sqq. REINHARD, p. 145, 146. cff. ERNESTII *Opusc. Theol.* p. 513 sqq.

(*) D. G. NIEMEYER, p. 123 sqq.

(§) Hujus loci sunt haud pauca, quae PLATO, CICERO aliique veteres in Philosophiae laudem dixerunt, nec tamen omnia: Religio enim Christiana cum toto genere humano multa communicat eorum, quae olim Philosophia sui tantum studiosis tradidit. cf. VAN HEUSDE, *Initia Philosophiae Platonicae.* Part. I. p. 66 sqq.

tione tractandae facultatem affert, quam quis sibi eo neglecto frustra speraverit (†).

§. 30.

Haud secus ex *Literarum humaniorum* seu *Philologiae* studio ad Oratorem Sacrum magna et praecipue duo redundant emolumenta: insignis nempe placitorum, morum, rituum, quibus se Veteres distinxerunt, atque rerum omnino bonarum cognitio, sine qua ille in causa religionis, tum exponenda, tum defendenda, saepissime vacillabit aut errabit; et singularis mentis conformatio ad sensum veri, pulchri et venusti, qui Literarum Sacrarum interpretationi lucem praefert, et universae prodest dictioni, ut perspicua, culta, oratoria sit: quocirca hoc studium Oratori Sacro jam ab antiquo commendatum est (*).

§. 31.

Sequitur *Historia*, tum *universa*, tum *patria*: quippe quae non solum Oratori Sacro exempla tradit, quorum vel aperto vel tecto usu orationi lux, nitor, gravitas addatur; sed rerum etiam multarum ei praebet

(†) Gisbert, p. 167 sqq. Planck, Tom. I. p. 185 sqq. Reinhard, p. 51 sqq. Heydenreich, in libro Tzschirneri s. l. *Memorabilien* etc. Tom. II. Part. 1. p. 60 sqq.

(*) Euseb. *Hist. Eccles.* Lib. VI. cap. 198. Socrates *Hist. Eccles.* Lib. III. cap. 16. Basilius in scriptione, cui titulus: *Πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων.* Opp. Tom. II. p. 178 sqq. *Bened.* aliique. Cff. inprimis Planck, Tom. I. p. 166 sqq. et Heydenreich, p. 67 sqq.

bet copiam, quae ad varia, tam dicendi argumenta, quam Literarum Sacrarum loca pro concione, uti par est, tractanda desiderari nequeunt: quod utrumque nemini quidem continget, qui sibi Historiam illam strenuo assiduoque studio familiarem reddere neglexerit (†).

§. 32.

Agmen claudat *Linguae Vernaculae* studium, quo, si omnium eorum, quotquot ad munus aliquod praeclarius in civitate obeundum excoluntur, nemo jam liberari potest, Orator Sacer se inprimis praeparare debet, ut in concionem procedens, non solum perspicua, culta et oratoria dictione utatur, sed ipsum etiam sermonem, ad res quascunque verbis quam maxime accommodatis enunciandas, tamquam in manu et potestate habeat (*).

§. 33.

Ex disciplinarum classe, quarum cognitio Oratori Sacro prorsus quidem necessaria non esse videtur, sed ei tamen *utilis* est, nescimus, quaenam omnino sint excludendae: in Academiis enim traditur nulla, quin ei quodammodo ad dicendum de rebus Sacris pro-

(†) Legatur PAHLII disputatio hoc de argumento apud TZSCHIRNERUM, *Memorabiliën*. Tom. III. Pars 1. p. 18 sqq. ipsiusque editoris annotatio. PLANCK, l. c. p. 252 sqq. HEYDENREICH, p. 67 sqq. Conferri meretur REINHARD, *Opusc. Acad.* Tom. II. p. 155 sqq.

(*) ROQUES, p. 292 sqq. PLANCK, p. 161 sqq.

prodesse possit. Prae ceteris vero *Historia naturalis*, *Mathesis*, *Physica*, *Astronomia* ad hoc negotium bene peragendum subinde officia sua praestabunt (†).

§. 34.

Sed sedulo cavendum est, ne quis, immemor vetustae illius sententiae, *artem longam*, *vitam brevem* esse, in disciplinarum utilitatis tantum causa commendatarum studio tam assiduus sit, ut tanquam vitae tabernaculum in iis collocare videatur; necessarias vero, in quibus omnes animi vires intendendae sunt, temporis inopia leviter percurrere cogatur.

§. 35.

Praeter disciplinas, quae in Academiis ad scholae diligentiam tradi solent, *rebus* varii generis operam navasse, Oratorem Sacrum nunquam poenitebit; uti arti *Musicae*, *Poësi*, *Germanorum*, *Franco-Gallorum*, *Anglorum* aliorumque recentioris aetatis populorum *literis et scriptis* (*): sed, etiamsi, tum his in rebus, tum ipsis in disciplinis supra commemoratis bene versatus sit, muneris tamen dicendi administratio ei minus ex voto succedet; nisi satis amplam sibi *hominum* acquisiverit *cognitionem*, qua et ingeniorum, opinionum, cupiditatum, morum diversi-

(†) Heydenreich, p. 75 sqq.

(*) Planck, p. 176 sqq. heydenreich, p. 79 sqq. grotefend, p. 216.

sitas, et modus, quo singulorum indoles se prodat ac veluti in oculos incurrat, et ratio denique prava quaevis in animis et vita corrigendi, bona stabiliendi et augendi, recte intelliguntur (†).

§. 36.

Oratori nempe Sacro *hac* hominum *cognitione* omnino *opus est*, ut argumenta dicendi auditoribus suis accommodata inveniat; ex quovis Literarum Sacrarum loco, quae iis prodesse possint, eliciat et concioni proponat; neque eorum mores et vitam ex corruptela tantum ad sanitatem perducat, vel eos in pietatis ac virtutis exercitatione promoveat, sed animis etiam pravas quaslibet opiniones evellens, meliores adhibeat, et honesti atque pravi igniculos, ibi latentes, ex parte foveat, ex parte exstinguat (*).

§. 37.

Haec autem hominum cognitio satis manca et imperfecta est, si *ex libris* tantum petitur, hoc de argumento scriptis: quamvis enim hujusmodi librorum lectio ad Oratorem Sacrum informandum egregie confert; ab omnibus tamen, qui ad munus illud administrandum praeparantur, id praecipue agi debet, ut, quomodo homines inter se, et conveniant, et

(†) REINHARD, *Opusc.* Tom. II. p. 173 sqq.

(*) MOSHEM. *Over het ampt* etc. p. 103 sqq. REINHARD, *Lettres.* p. 127, 128. REYBAZ, p. 167, 168. THEREMIN, p. 143 sqq.

et differant, ipsa *experientia duce* et magistra doceantur (†).

§. 38.

Duo igitur iis imposita sunt officia: alterum *in semet ipsos* perpetuo *introspiciendi* atque inde colligendi, quomodo mens humana suis in judiciis, consiliis, affectionibus studiisque versetur; alterum solitudinem domesticam cum vitae communis consuetudine identidem permutandi ibique *alios* diligenter *observandi* (*).

§. 39.

Novimus quidem, cognitionis et hominum, et omnium illorum, quae hoc in capite proposuimus, a nemine, usque dum Oratoris Sacri munus aggrediatur, plus quam initia poni posse; sed qui haec tamen *initia in vita* sua *Academica ponere* neglexerit, sine dubio ad munus illud bene administrandum, nisi fortunae sors ei obtingat plane singularis, frustra laborabit et sudabit.

§. 40.

Ceterum vero unumquemque semper meminisse oportet, quae in vita didicerit Academica, nisi identidem recolantur, celeriter oblivione obrui: neque haec ipsa, ut modo diximus, plus quam tenuia esse rerum principia, quae ille *continuo studio ac labore* per-

(†) Mosheim et reybaz, ll. cc.
(*) Ostervald, p. 125 sqq. groteFend, p. 24 sqq.

persequi debeat, ut evadat Orator Sacer, de meliore nota commendatus (†).

CAPUT II.

De studio in ipsa Arte Oratoria collocando.

---

§. 1.

Haud pauci quidem sunt, qui ad disciplinas et res alias, quas superiore capite cognoscendas esse monuimus, diligentiam adhibeant; neque illi tamen omnes Oratores evadunt Sacri, bene dicendi laude commendabiles. Quod mirandum non est, quia, ut jam viderunt Graeci veteres, inter τὸν λόγον ἐνδιαθετὸν et προφορικὸν multum interesse constat.

§. 2.

A nemine profecto, qui Oratoris Sacri munere laudabiliter fungi cupit, in disciplinarum ac rerum illarum studio subsistendum, sed *studium in ipsa Arte Oratoria ponendum est.* Et tria quidem requiruntur: *primum*, ut Rhetoricorum operam det praeceptis; *alterum*, ut exempla eloquentiae attente contem-

(†) Moshem. p. 89 sqq.

templetur; *tertium*, ut in virium suarum exercitatione multus sit et assiduus.

§. 3.

Primum igitur *Rhetoricorum praeceptis*, quamquam bene dicendi facultatem, si natura hanc negavit, nemini impertiunt, tantum tamen ad Oratorem Sacrum informandum inesse utilitatis, ut *opera* iis *danda* sit, supra nobis jam evidenter demonstrasse videmur (†): unde doctorum illorum scholas ab omnibus, qui ad hujusmodi Oratoris munus praeparari velint, assidue frequentandas esse sequitur. Atque hoc inde quoque multum commendationis habet, quod certo constat, nullam institutionem penitius in animos intrare, quam quae viva voce tradatur et auribus accipiatur.

§. 4.

Sed quemadmodum iis, qui Rhetoricae doctorem sibi frustra quaerunt, nihil aliud restat, quam libros legere de ea scriptos; sic hac eadem quoque lectione tenentur, qui laetiore gaudent fortuna. At paucos tamen et bonos libros ad usum adhibere praestabit, quam promiscue evolvere et percurrere, in quoscunque incideris (*).

§. 5.

Primae sine controversia deferendae sunt *Scriptori-*

(†) *Introit.* §. 8 sqq.
(*) Reinhard, p. 45, 46.

ribus, qui *Graeciam* et *Romam* olim illustrarunt: hi enim, quamvis libri eorum et multa continent Oratori Sacro minus accommodata, et nonnulla etiam, quae magis vituperanda, quam laudanda sunt (†), ex ipsa tamen eloquentia in vita communi oculis contemplanda Rhetoricae maxime disciplinam petierunt, et bene dicendi regulas, ab omni Oratore observandas, ita proposuerunt, ut plerisque recentioris aetatis hominibus, tum ingenii ubertate, tum integro et incorrupto pulchri venustique sensu antecellere, iisque eloquentiae sibi comparandae tanquam duces esse deprehendantur (*).

§. 6.

Quam maxime igitur ad studium artis oratoriae agendum commendanda sunt, quae hoc de argumento scripserunt ARISTOTELES, omnium primus et princeps, DIONYSIUS *Halicarnassensis*, LONGINUS, QUINCTILIANUS. Si quis autem horum Scriptorum libros assidue ac diligenter legerit, ceteros (§) haud valde praeter unum desiderabit CICERONEM, cujus monita, in *operibus* ejus *oratoriis* reperiunda, tanto magis in succum sanguinemque convertenda sunt, quoniam debentur viro, qui ipse elo-

(†) *Introit.* §. 15. Part. I. cap. 3. §. 18.

(*) TZSCHIRNER, *Briefe.* p. 23 sqq. Cf. praeter alios BLAIR, p. 386 sqq. ubi tamen de nonnullis recentiorum temporum Rhetoricis, nominatim de GISBERTO, verissimo et elegantissimo doctore, iniquius judicat.

(§) MORHOF, Lib. VI. cap. 1.

eloquentia sua nominis immortalitatem consecutus est (†).

§. 7.

Praeter Rhetoricos veteres adeundi sunt, qui *recentiore aetate* de *Rhetorica* scripserunt; aut ipsam tractarunt *Oratoris Sacri institutionem*, vel *hujus* certe *disciplinae partem* (*). Uti autem horum praecipuos hoc in libro a nobis laudatos esse speramus; ita omnibus palmam praeripuisse et optimum Oratoris Sacri ducem se praestitisse nobis videtur SCHOTTUS (§).

§. 8.

Ne quis autem lectionem librorum, ab hominibus recentioribus hoc de argumento scriptorum, satis tuto praetermitti posse opinetur; bene notanda sunt *merita his ipsis propria* · eos nempe sparsa et disjecta Veterum monita, ad Philosophorum diligentiam, unum quasi in corpus coëgisse: praeceptis, ex virorum eloquentium contemplatione petitis, ratiocinando fidem fecisse: ex principiis ab antiquitate positis novas dicendi regulas duxisse: omnia ita instruxisse, ut recentiorum populorum institutis accommodata, et ad Oratorem Sacrum maxime informandum comparata essent (††).

§. 9.

(†) BLAIR et TZSCHIRNER, ll. ll. De LONGINO autem legatur FENELON, p. 12 sqq. ibique annotatio SCHRANTII.

(*) THYM, p. 149 sqq.

(§) *Introit.* §. 29.

(††) TZSCHIRNER, l. c.

§. 9.

Sed ex studio in ipsa arte oratoria ponendo haud magnos capiet fructus, qui Rhetoricorum praeceptis operam dedisse satis habet, neque *exempla eloquentiae attente comtemplatur:* quod, uti in omni disciplina regulae exemplis illustrantur, sic ad Oratoris Sacri partes bene explendas quam maxime necessarium est.

§. 10.

Exempla eloquentiae, ad contemplationem nobis proposita, *duplicis generis sunt;* nam ea capere possumus, vel ex libris virorum clarorum, qui in lucem editi sunt, legendis; vel ex oratoribus, qui in dicendo pro concione versantur, audiendis.

§. 11.

Inter *libros Virorum Clarorum*, qui ad exempla eloquentiae capienda legi debent, primum sine dubio locum occupant *Literae Sacrae*: his enim literis non solum omnis doctrinae, ab Oratore Sacro concioni tradendae, principia et elementa continentur; sed perennem etiam iis et uberrimum verae eloquentiae inesse fontem, tam certum est, ut illud negare extremae foret impudentiae (†).

§. 12.

Inprimis *Vatum Divinorum* et *Apostolorum* JESU le-

(†) Schrant, p. 115 sqq. et qui ab eo excitantur.

legantur orationes, his in Literis posteritati conservatae, quae, uti viris debentur unius veri rectique et honesti amantibus, et pietatis virtutisque flammam Divinitus sibi inditam semper spirantibus, sic luculentissime docent, quomodo hoc nostro tempore auditoribus persuaderi oporteat, ut homines sint vere Christiani (†).

§. 13.

Omnium optimum vero dicendi exemplum capietur ex *orationibus ipsius* JESU, qui, quantum nobis, et naturae praestantia, et animi dotibus ac virtutibus antecelluit, tantum oratoribus quibuscunque praepolluit eloquentia et ad ultimos praepollebit nepotes (*).

§. 14.

Praeter Literas Sacras autem, ad libros virorum clarorum, quorum lectione Orator Sacer ad munus suum praeparari debet, *omne illud* referri potest, *quod* ab antiquo usque ad haec nostra tempora *Poëtae*, *Philosophi*, *Historici bene et eleganter scripserunt:* hinc enim ad sensum verae et genuinae eloquentiae acuendum et alendum multum adjumenti enascitur (§).

Sed

(†) THYM, p. 31 sqq.

(*) HESSUS, WINKLERUS, aliique laudati a THYMIO, p. 8 sqq. BRINK, *De leer en leerwijze van* JEZUS etc. BROES, *Proeve van aanmerkingen over de leerwijs van* JEZUS CHRISTUS etc.

(§) DAHL, p. 340, 341.

bet copiam, quae ad varia, tam dicendi argumenta, quam Literarum Sacrarum loca pro concione, uti par est, tractanda desiderari nequeunt: quod utrumque nemini quidem continget, qui sibi Historiam illam strenuo assiduoque studio familiarem reddere neglexerit (†).

§. 32.

Agmen claudat *Linguae Vernaculae* studium, quo, si omnium eorum, quotquot ad munus aliquod praeclarius in civitate obeundum excoluntur, nemo jam liberari potest, Orator Sacer se inprimis praeparare debet, ut in concionem procedens, non solum perspicua, culta et oratoria dictione utatur, sed ipsum etiam sermonem, ad res quascunque verbis quam maxime accommodatis enunciandas, tamquam in manu et potestate habeat (*).

§. 33.

Ex disciplinarum classe, quarum cognitio Oratori Sacro prorsus quidem necessaria non esse videtur, sed ei tamen *utilis* est, nescimus, quaenam omnino sint excludendae: in Academiis enim traditur nulla, quin ei quodammodo ad dicendum de rebus Sacris pro-

(†) Legatur PAHLII disputatio hoc de argumento apud TZSCHIRNERUM, *Memorabiliën.* Tom. III. Pars 1. p. 18 sqq. ipsiusque editoris annotatio. PLANCK, l. c. p. 252 sqq. HEYDENREICH, p. 67 sqq. Conferri meretur REINHARD, *Opusc. Acad.* Tom. II. p. 155 sqq.

(*) ROQUES, p. 292 sqq. PLANCK, p. 161 sqq.

prodesse possit. Prae ceteris vero *Historia naturalis*, *Mathesis*, *Physica*, *Astronomia* ad hoc negotium bene peragendum subinde officia sua praestabunt (†).

§. 34.

Sed sedulo cavendum est, ne quis, immemor vetustae illius sententiae, *artem longam*, *vitam brevem* esse, in disciplinarum utilitatis tantum causa commendatarum studio tam assiduus sit, ut tanquam vitae tabernaculum in iis collocare videatur; necessarias vero, in quibus omnes animi vires intendendae sunt, temporis inopia leviter percurrere cogatur.

§. 35.

Praeter disciplinas, quae in Academiis ad scholae diligentiam tradi solent, *rebus* varii generis operam navasse, Oratorem Sacrum nunquam poenitebit; uti arti *Musicae*, *Poësi*, *Germanorum*, *Franco-Gallorum*, *Anglorum* aliorumque recentioris aetatis populorum *literis et scriptis* (*): sed, etiamsi, tum his in rebus, tum ipsis in disciplinis supra commemoratis bene versatus sit, muneris tamen dicendi administratio ei minus ex voto succedet; nisi satis amplam sibi *hominum* acquisiverit *cognitionem*, qua et ingeniorum, opinionum, cupiditatum, morum diver-

si-

(†) Heydenreich, p. 75 sqq.

(*) Planck, p. 176 sqq. heydenreich, p. 79 sqq. grotefend, p. 216.

sitas, et modus, quo singulorum indoles se prodat ac veluti in oculos incurrat, et ratio denique prava quaevis in animis et vita corrigendi, bona stabiliendi et augendi, recte intelliguntur (†).

§. 36.

Oratori nempe Sacro *hac* hominum *cognitione* omnino *opus est*, ut argumenta dicendi auditoribus suis accommodata inveniat; ex quovis Literarum Sacrarum loco, quae iis prodesse possint, eliciat et concioni proponat; neque eorum mores et vitam ex corruptela tantum ad sanitatem perducat, vel eos in pietatis ac virtutis exercitatione promoveat, sed animis etiam pravas quaslibet opiniones evellens, meliores adhibeat, et honesti atque pravi igniculos, ibi latentes, ex parte foveat, ex parte exstinguat (*).

§. 37.

Haec autem hominum cognitio satis manca et imperfecta est, si *ex libris* tantum petitur, hoc de argumento scriptis: quamvis enim hujusmodi librorum lectio ad Oratorem Sacrum informandum egregie confert; ab omnibus tamen, qui ad munus illud administrandum praeparantur, id praecipue agi debet, ut, quomodo homines inter se, et conveniant, et

(†) REINHARD, *Opusc.* Tom. II. p. 173 sqq.

(*) MOSHEM. *Over het ampt* etc. p. 103 sqq. REINHARD, *Lettres.* p. 127, 128. REYBAZ, p. 167, 168. THEREMIN, p. 143 sqq.

et differant, ipsa *experientia duce* et magistra doceantur (†).

§. 38.

Duo igitur iis imposita sunt officia: alterum *in semet ipsos* perpetuo *introspiciendi* atque inde colligendi, quomodo mens humana suis in judiciis, consiliis, affectionibus studiisque versetur; alterum solitudinem domesticam cum vitae communis consuetudine identidem permutandi ibique *alios* diligenter *observandi* (*).

§. 39.

Novimus quidem, cognitionis et hominum, et omnium illorum, quae hoc in capite proposuimus, a nemine, usque dum Oratoris Sacri munus aggrediatur, plus quam initia poni posse; sed qui haec tamen *initia in vita* sua *Academica ponere* neglexerit, sine dubio ad munus illud bene administrandum, nisi fortunae sors ei obtingat plane singularis, frustra laborabit et sudabit.

§. 40.

Ceterum vero unumquemque semper meminisse oportet, quae in vita didicerit Academica, nisi identidem recolantur, celeriter oblivione obrui: neque haec ipsa, ut modo diximus, plus quam tenuia esse rerum principia, quae ille *continuo studio ac labore* per-

(†) Mosheim et reybaz, ll. cc.
(*) Ostervald, p. 125 sqq. grotefend, p. 24 sqq.

persequi debeat, ut evadat Orator Sacer, de meliore nota commendatus (†).

CAPUT II.

De studio in ipsa Arte Oratoria collocando.

---

§. 1.

Haud pauci quidem sunt, qui ad disciplinas et res alias, quas superiore capite cognoscendas esse monuimus, diligentiam adhibeant; neque illi tamen omnes Oratores evadunt Sacri, bene dicendi laude commendabiles. Quod mirandum non est, quia, ut jam viderunt Graeci veteres, inter τὸν λόγον ἐνδιαθετὸν et προφορικὸν multum interesse constat.

§. 2.

A nemine profecto, qui Oratoris Sacri munere laudabiliter fungi cupit, in disciplinarum ac rerum illarum studio subsistendum, sed *studium in ipsa Arte Oratoria ponendum est.* Et tria quidem requiruntur: *primum*, ut Rhetoricorum operam det praeceptis; *alterum*, ut exempla eloquentiae attente contem-

(†) Mosheim. p. 89 sqq.

templetur; *tertium*, ut in virium suarum exercitatione multus sit et assiduus.

§. 3.

Primum igitur *Rhetoricorum praeceptis*, quamquam bene dicendi facultatem, si natura hanc negavit, nemini impertiunt, tantum tamen ad Oratorem Sacrum informandum inesse utilitatis, ut *opera iis danda* sit, supra nobis jam evidenter demonstrasse videmur (†): unde doctorum illorum scholas ab omnibus, qui ad hujusmodi Oratoris munus praeparari velint, assidue frequentandas esse sequitur. Atque hoc inde quoque multum commendationis habet, quod certo constat, nullam institutionem penitius in animos intrare, quam quae viva voce tradatur et auribus accipiatur.

§. 4.

Sed quemadmodum iis, qui Rhetoricae doctorem sibi frustra quaerunt, nihil aliud restat, quam libros legere de ea scriptos; sic hac eadem quoque lectione tenentur, qui laetiore gaudent fortuna. At paucos tamen et bonos libros ad usum adhibere praestabit, quam promiscue evolvere et percurrere, in quoscunque incideris (*).

§. 5.

Primae sine controversia deferendae sunt *Scriptori-*

(†) *Introit.* §. 8 sqq.
(*) Reinhard, p. 45, 46.

etiamnum serpunt, diligenter coarguendos ac repellendos; denique ad quaestiones, quas homines pariter patricii et plebeji, urbani et rusticani, de eo, quod Christianum est, agitare solent, ita dirimendas, ut omnium bonorum animis quies et tranquillitas afferatur (†).

§. 24.

Ita et Oratorem Sacrum, ut bene pro concione dicat, praeparare debet disciplinae, quae *Practicam* seu *Activam* religionis Christianae partem continet, erudita tractatio: quippe qua sola idoneus redditur ad auditoribus data occasione ostendendum, quid inter Christianam morum doctrinam et Philosophiam moralem intersit; quantum haec illi et amplitudine, et perspicuitate, et vi atque efficacitate cedat; quonam necessitudinis vinculo singula inter se cohaereant hominis Christiani officia; quibusnam nominibus officiorum causae a recti et honesti incitamentis differant, et quae hujus generis plura sunt (*). Huc autem ingenuum etiam *Asceticae*, quam dicunt, referimus studium, quod Oratori Sacro ad auditores in pietate et virtute exercendos summopere opitulatur (§).

§. 25.

Tertio loco commemoranda est *Historia Eccle-*
sia-

(†) Roques, p. 288, 289.
(*) Roques, p. 289 sqq. Reinhard, *Lettres.* p. 55 sqq.
(§) Maury, Tom. II. p. 234, 235.

siastica, quae *Ecclesiae* ita dictae, et internam, et externam conditionem inde ab origine repetit et exponit. Altera autem pars ejus versatur in rebus ante CHRISTUM gestis; altera continet, quae religionem et societatem spectant Christianam.

§. 26.

Historiae igitur *Ecclesiasticae* peritia Orator Sacer jam idcirco carere nequit, quia satis crebro ad argumentum, cujus haud exigua pars hinc repetenda est, pro concione tractandum vocatur. Deinde illa insignem ei praestabit opem, ut sibi aliisque hominibus de religionis Christianae veritate ac Divinitate firmiter persuadeat. Praeterea hujus disciplinae studium eum quasi manu ducet ad hodiernam, et hujus religionis formam, et societatis Christianae conditionem bene et judicandam, et concioni explicandam. Quibus accedit quod hac in disciplina exemplorum abundantia commonstratur, quomodo quis dicendi munere fungi debeat, ut auditorum animos, adjuvante Deo, illustret, emendet, solatio et vitae melioris spe recreet.

§. 27.

Haec vero non de qualicunque, sed de penitiore ac diligentiore *Historiae Ecclesiasticae* studio accipienda sunt: quippe quo uno rerum ante gestarum imagines clarae et ad vitam expressae animis repraesentantur; causae atque eventus earum ex caligine eruuntur et in lucem eduntur; et singula tam fir-

§. 9.

Sed ex studio in ipsa arte oratoria ponendo haud magnos capiet fructus, qui Rhetoricorum praeceptis operam dedisse satis habet, neque *exempla eloquentiae attente comtemplatur:* quod, uti in omni disciplina regulae exemplis illustrantur, sic ad Oratoris Sacri partes bene explendas quam maxime necessarium est.

§. 10.

Exempla eloquentiae, ad contemplationem nobis proposita, *duplicis generis sunt;* nam ea capere possumus, vel ex libris virorum clarorum, qui in lucem editi sunt, legendis; vel ex oratoribus, qui in dicendo pro concione versantur, audiendis.

§. 11.

Inter *libros Virorum Clarorum*, qui ad exempla eloquentiae capienda legi debent, primum sine dubio locum occupant *Literae Sacrae*: his enim literis non solum omnis doctrinae, ab Oratore Sacro concioni tradendae, principia et elementa continentur; sed perennem etiam iis et uberrimum verae eloquentiae inesse fontem, tam certum est, ut illud negare extremae foret impudentiae (†).

§. 12.

Inprimis *Vatum Divinorum* et *Apostolorum* JESU le-

(†) SCHRANT, p. 115 sqq. et qui ab eo excitantur.

legantur orationes, his in Literis posteritati conservatae, quae, uti viris debentur unius veri rectique et honesti amantibus, et pietatis virtutisque flammam Divinitus sibi inditam semper spirantibus, sic luculentissime docent, quomodo hoc nostro tempore auditoribus persuaderi oporteat, ut homines sint vere Christiani (†).

§. 13.

Omnium optimum vero dicendi exemplum capietur ex *orationibus ipsius* JESU, qui, quantum nobis, et naturae praestantia, et animi dotibus ac virtutibus antecelluit, tantum oratoribus quibuscunque praepolluit eloquentia et ad ultimos praepollebit nepotes (*).

§. 14.

Praeter Literas Sacras autem, ad libros virorum clarorum, quorum lectione Orator Sacer ad munus suum praeparari debet, *omne illud* referri potest, *quod* ab antiquo usque ad haec nostra tempora *Poëtae*, *Philosophi*, *Historici bene et eleganter scripserunt:* hinc enim ad sensum verae et genuinae eloquentiae acuendum et alendum multum adjumenti enascitur (§). Sed

(†) THYM, p. 31 sqq.

(*) HESSUS, WINKLERUS, aliique laudati a THYMIO, p. 8 sqq. BRINK, *De leer en leerwijze van* JEZUS etc. BROES, *Proeve van aanmerkingen over de leerwijs van* JEZUS CHRISTUS etc.

(§) DAHL, p. 340., 341.

Sed nunc praecipue ratio habenda est *Orationum*, vere ita dictarum, quae in lucem editae sunt.

§. 15.

Et primum quidem adeundae sunt orationes, quas *veteres* habuerunt *Graeci et Romani*, eloquentia sua nominis immortalitatem consecuti (†), inprimis DEMOSTHENES et CICERO, alter omnium, quotquot inter homines fuerunt, oratorum facile princeps, alter ad eum propius accedens quam alius quisquam (*): quibuscum igitur familiaritate sibi contrahenda optimi quique se ad dicendum de rebus Sacris praepararunt (§).

§. 16.

Ordine sequuntur *Patrum*, qui dicuntur, *Ecclesiasticorum* orationes, quae uti in rebus versantur Christianis, nunc etiam pro concione populi tractandis (††), sic haud pauca loca eloquentiae plena continent, atque idcirco Oratores Sacros recentioris aetatis ad bene dicendum saepissime adjuverunt (**): in-

(†) FENELON, p. 167 sqq.
(*) LONGINUS, cap. 12. MAURY, Tom. I. p. 99 sqq. SCHRANT, p. 261 sqq.
(§) REINHARD, p. 46 sqq. TZSCHIRNER, p. 23 sqq.
(††) TZSCHIRNER, p. 22, 23.
(**) ROLLIN, Tom. II. p. 325 sqq. MAURY, Tom. II. p. 214 sqq. FENELON, p. 148 sqq. ibique SCHRANT. THYM, p. 45 sqq. Quorum tamen luce minus indigebit ille, cui TZSCHIRNERI commentationes *de claris Vet. Eccles. Oratoribus* legere contigerit.

eloquentia sua nominis immortalitatem consecutus est (†).

§. 7.

Praeter Rhetoricos veteres adeundi sunt, qui *recentiore aetate* de *Rhetorica* scripserunt; aut ipsam tractarunt *Oratoris Sacri institutionem*, vel *hujus* certe *disciplinae partem* (*). Uti autem horum praecipuos hoc in libro a nobis laudatos esse speramus; ita omnibus palmam praeripuisse et optimum Oratoris Sacri ducem se praestitisse nobis videtur SCHOTTUS (§).

§. 8.

Ne quis autem lectionem librorum, ab hominibus recentioribus hoc de argumento scriptorum, satis tuto praetermitti posse opinetur; bene notanda sunt *merita his ipsis propria* · eos nempe sparsa et disjecta Veterum monita, ad Philosophorum diligentiam, unum quasi in corpus coëgisse: praeceptis, ex virorum eloquentium contemplatione petitis, ratiocinando fidem fecisse: ex principiis ab antiquitate positis novas dicendi regulas duxisse: omnia ita instruxisse, ut recentiorum populorum institutis accommodata, et ad Oratorem Sacrum maxime informandum comparata essent (††).

§. 9.

(†) BLAIR et TZSCHIRNER, ll. ll. De LONGINO autem legatur FENELON, p. 12 sqq. ibique annotatio SCHRANTII.

(*) THYM, p. 149 sqq.

(§) *Introit.* §. 29.

(††) TZSCHIRNER, l. c.

git: tum KISTIUS (†), ROESTIUS (*), et horum aemuli, qui, quamvis iniqua vernaculae, qua utebantur, linguae fortuna extra harum regionum fines minus clarebant, nobis tamen, popularibus suis, orationes reliquerunt, quorum memoriam oblivio haud facile delebit.

§. 19.

Alterum genus exemplorum ad contemplationem capitur *ex Oratoribus*, *qui in dicendo pro concione versantur*, *audiendis:* quod cum nobis praebeant viri, quorum os coram intueri contingit; non tantum eo docemur, quomodo orationes Sacrae componendae, sed etiam quomodo habendae sint.

§. 20.

Occasio igitur *Oratoris Sacri*, qui eloquentiae laudem sibi comparavit, *audiendi* ab omnibus, qui ad dicendi munus praeparantur, studiose potius *quaerenda*, quam imprudenter negligenda est, et multo quidem magis, quoniam plerisque, postquam semel huic muneri praefecti erunt, occasio illa rarius offeretur (§).

§. 21.

(†) Prae ceteris KISTII orationibus Sacris commendari merentur, quae hoc insignitae sunt titulo: *Leerredenen over Gods deugden.*

(*) VAN DER ROEST, *Bijbelsche Tafereelen van leerzame Sterfgevallen.* et *Leerredenen over de genoegens van den Godsdienst.*

(§) GAUSSENUS, *De ratione concionandi*, in *Opusc. de rat. Stud.* Part. II. p. 131. Ed. SCHEID.

§. 21.

Oratorum vero, quos pro concione dicentes audimus, vel quorum orationes legimus in lucem editas, *contemplatio* esse debet *attenta:* ut nec opinionum praejudicatarum fraude, neque aliorum hominum auctoritate, vel in laudationem, vel in vituperationem praecipites feramur; sed, his in oratoribus oculorum mentisque aciem figentes, *tria nobis acquiramus:* quorum primum cernitur in fingenda nobis Oratoris perfecti imagine, quam aliis referre studeamus; alterum in judicio ad subtilem verae falsaeque eloquentiae distinctionem acuendo, quo duce ipsi orationes faciamus et habeamus; tertium denique in exemplis multiplicis boni et praeclari nobis procurandis, quae imitando auditoribus nostris reddamus.

§. 22.

Perfecti Oratoris imaginem, quam aliis referre studeamus, nobis fingimus, si viros eloquentia claros mente oculisque ita contemplamur, ut omne, quod in iis singulis probandum est, cogitando secum invicem conglutinantes, nobis illud in dicendo consummatum numerisque omnibus absolutum proponamus, cujus ad aemulationem assidue feramur (†).

§. 23.

Judicium, quo duce ipsi orationes faciamus et

(†) Reinhard, p. 46 sqq.

persequi debeat, ut evadat Orator Sacer, de meliore nota commendatus (†).

CAPUT II.

De studio in ipsa Arte Oratoria collocando.

---

§. 1.

Haud pauci quidem sunt, qui ad disciplinas et res alias, quas superiore capite cognoscendas esse monuimus, diligentiam adhibeant; neque illi tamen omnes Oratores evadunt Sacri, bene dicendi laude commendabiles. Quod mirandum non est, quia, ut jam viderunt Graeci veteres, inter τὸν λόγον ἐνδιαθετὸν et προφορικὸν multum interesse constat.

§. 2.

A nemine profecto, qui Oratoris Sacri munere laudabiliter fungi cupit, in disciplinarum ac rerum illarum studio subsistendum, sed *studium in ipsa Arte Oratoria ponendum est.* Et tria quidem requiruntur: *primum*, ut Rhetoricorum operam det praeceptis; *alterum*, ut exempla eloquentiae attente contem-

(†) Mosheim. p. 89 sqq.

eloquentia sua nominis immortalitatem consecutus est (†).

§. 7.

Praeter Rhetoricos veteres adeundi sunt, qui *recentiore aetate* de *Rhetorica* scripserunt; aut ipsam tractarunt *Oratoris Sacri institutionem*, vel *hujus* certe *disciplinae partem* (*). Uti autem horum praecipuos hoc in libro a nobis laudatos esse speramus; ita omnibus palmam praeripuisse et optimum Oratoris Sacri ducem se praestitisse nobis videtur SCHOTTUS (§).

§. 8.

Ne quis autem lectionem librorum, ab hominibus recentioribus hoc de argumento scriptorum, satis tuto praetermitti posse opinetur; bene notanda sunt *merita his ipsis propria* · eos nempe sparsa et disjecta Veterum monita, ad Philosophorum diligentiam, unum quasi in corpus coëgisse: praeceptis, ex virorum eloquentium contemplatione petitis, ratiocinando fidem fecisse: ex principiis ab antiquitate positis novas dicendi regulas duxisse: omnia ita instruxisse, ut recentiorum populorum institutis accommodata, et ad Oratorem Sacrum maxime informandum comparata essent (††).

§. 9.

(†) BLAIR et TZSCHIRNER, ll. ll. De LONGINO autem legatur FENELON, p. 12 sqq. ibique annotatio SCHRANTII.

(*) THYM, p. 149 sqq.

(§) *Introit.* §. 29.

(††) TZSCHIRNER, l. c.

ritus, qui *Graeciam* et *Romam* olim illustrarunt: hi enim, quamvis libri eorum et multa continent Oratori Sacro minus accommodata, et nonnulla etiam, quae magis vituperanda, quam laudanda sunt (†), ex ipsa tamen eloquentia in vita communi oculis contemplanda Rhetoricae maxime disciplinam petierunt, et bene dicendi regulas, ab omni Oratore observandas, ita proposuerunt, ut plerisque recentioris aetatis hominibus, tum ingenii ubertate, tum integro et incorrupto pulchri venustique sensu antecellere, iisque eloquentiae sibi comparandae tanquam duces esse deprehendantur (*).

§. 6.

Quam maxime igitur ad studium artis oratoriae agendum commendanda sunt, quae hoc de argumento scripserunt ARISTOTELES, omnium primus et princeps, DIONYSIUS *Halicarnassensis*, LONGINUS, QUINCTILIANUS. Si quis autem horum Scriptorum libros assidue ac diligenter legerit, ceteros (§) haud valde praeter unum desiderabit CICERONEM, cujus monita, in *operibus* ejus *oratoriis* reperiunda, tanto magis in succum sanguinemque convertenda sunt, quoniam debentur viro, qui ipse elo-

(†) *Introit.* §. 15. Part. I. cap. 3. §. 18.

(*) TZSCHIRNER, *Briefe.* p. 23 sqq. Cf. praeter alios BLAIR, p. 386 sqq. ubi tamen de nonnullis recentiorum temporum Rhetoricis, nominatim de GISBERTO, verissimo et elegantissimo doctore, iniquius judicat.

(§) MORHOF, Lib. VI. cap. 1.

eloquentia sua nominis immortalitatem consecutus est (†).

§. 7.

Praeter Rhetoricos veteres adeundi sunt, qui *recentiore aetate* de *Rhetorica* scripserunt; aut ipsam tractarunt *Oratoris Sacri institutionem*, vel *hujus* certe *disciplinae partem* (*). Uti autem horum praecipuos hoc in libro a nobis laudatos esse speramus; ita omnibus palmam praeripuisse et optimum Oratoris Sacri ducem se praestitisse nobis videtur SCHOTTUS (§).

§. 8.

Ne quis autem lectionem librorum, ab hominibus recentioribus hoc de argumento scriptorum, satis tuto praetermitti posse opinetur; bene notanda sunt *merita his ipsis propria* · eos nempe sparsa et disjecta Veterum monita, ad Philosophorum diligentiam, unum quasi in corpus coëgisse: praeceptis, ex virorum eloquentium contemplatione petitis, ratiocinando fidem fecisse: ex principiis ab antiquitate positis novas dicendi regulas duxisse: omnia ita instruxisse, ut recentiorum populorum institutis accommodata, et ad Oratorem Sacrum maxime informandum comparata essent (††).

§. 9.

(†) BLAIR et TZSCHIRNER, ll. ll. De LONGINO autem legatur FENELON, p. 12 sqq. ibique annotatio SCHRANTII.

(*) THYM, p. 149 sqq.

(§) *Introit.* §. 29.

(††) TZSCHIRNER, l. c.

§. 9.

Sed ex studio in ipsa arte oratoria ponendo haud magnos capiet fructus, qui Rhetoricorum praeceptis operam dedisse satis habet, neque *exempla eloquentiae attente comtemplatur:* quod, uti in omni disciplina regulae exemplis illustrantur, sic ad Oratoris Sacri partes bene explendas quam maxime necessarium est.

§. 10.

Exempla eloquentiae, ad contemplationem nobis proposita, *duplicis generis sunt;* nam ea capere possumus, vel ex libris virorum clarorum, qui in lucem editi sunt, legendis; vel ex oratoribus, qui in dicendo pro concione versantur, audiendis.

§. 11.

Inter *libros Virorum Clarorum*, qui ad exempla eloquentiae capienda legi debent, primum sine dubio locum occupant *Literae Sacrae*: his enim literis non solum omnis doctrinae, ab Oratore Sacro concioni tradendae, principia et elementa continentur; sed perennem etiam iis et uberrimum verae eloquentiae inesse fontem, tam certum est, ut illud negare extremae foret impudentiae (†).

§. 12.

Inprimis *Vatum Divinorum* et *Apostolorum* JESU le-

(†) SCHRANT, p. 115 sqq. et qui ab eo excitantur.

cribendae vel habendae negotium Oratori ex voto uccedat (†).

§. 8.

Quid? quod illa animi morumque et totius vitae conformatio ad CHRISTI doctrinam non solum Oratori Sacro, aeque atque omnibus aliis hominibus, ad sortis suae negotia bene peragenda opitulatur; sed tanti etiam habenda est, ut, licet artem vel disciplinam suam magno cum applausu profiteri videamus, qui se hujus rei negligentiores praestent, Orator Sacer tamen *sine ea ne mediocriter quidem* pro concione *dicere posse* censendus sit.

§. 9.

Sicuti enim imperitos ad artem aliquam vel disciplinam instituere nequit, qui ipse eam non antea edoctus est; sic ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani sint, neminem alium, quam qui ipse homo vere Christianus esse didicerit, in concionem procedere posse, et *res ipsa* loquitur, et *veterum* confirmat *auctoritas*, ubi uno fere eodemque ore de eo inter se consentiunt, *Oratorem virum esse debere bonum*, qui auditores haud secus vitae probitate, quam orationis gravitate ad suam voluntatem flectat (*).

§. 10.

(†) Cff. scriptores s. ll. Et ipsi *voci* prodesse frugalitatem, jam notavit QUINCTIL. Lib. XI. cap. 3.

(*) CICERO, *de Orat.* Lib. II. cap. 43. QUINCTIL. Lib. XII. cap. 1. Jam MENANDER dixit: Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος,

rint, non semel, aut bis; sed identidem periculum facere oportet hujusmodi *orationis* ad *Homileticae* praecepta, si minus *elaborandae*, at certe *adumbrandae.*

§. 38.

At nemo sibi tamen satis habeat, quam plurimum scribere, sed *omnia quam diligentissime scribenda* sunt. Quemadmodum enim in vita humana, quo quid majoris pretii est, eo majore labore partum esse solet; sic scribendi negotium ad Oratorem informandum haud ita magnum utilitatis fructum afferet, nisi auctor tum ad res excogitandas, tum ad verba invenienda et disponenda omnem animi attentionem adhibuerit. Et qui identidem nonnulla sordide ac vitiose scribere non veretur, gravissimum subit periculum committendi, ut omnia tandem, quae in chartam conjiciuntur, sordibus vitiisque scateant (†).

§. 39.

Ne cui autem coecum forte partus recentis studium fraudem faciat, quidquid scriptum est aliquamdiu seponatur, post temporis vero intervallum relegatur, et severo iterum iterumque judicio subjiciatur, ut auctor errores suos ipse animadvertere, atque paulatim ad praesentem usum scribere discat (*).

§. 40.

(†) Quinctil. l. c. Blair, p. 383, 384.
(*) Quinctil. l. c. cap. 4.

§. 40.

Ad Orationem Sacram habendam haud minus necessarium est, ut quisque vires suas exerceat, quam ad eam faciendam: dici enim non potest, quantum vires ad actionem bene instituendam natura insitae exercendi negligentia comminuantur, diligentia vero augeantur. Hanc autem diligentiam homine ad gravissimum Oratoris Sacri munus praeparando omnino dignam esse, ex supra disputatis sequitur (†).

§. 41.

Et primum quidem *memoria*, sicuti multum confert ad orationem bene faciendam, sic inprimis assidue exercenda est, ut oratio illa ad regulas supra propositas pro concione habeatur: quod fieri nequit, nisi haec animi facultas, quae ipsi mandantur, sine magno negotio comprehendere, suo tempore promte suggerere, neque aliter quam antea accepta sunt, id est, fideliter reddere assueverit. Necesse igitur est, ut omnes, qui Oratores Sacri evadere cupiunt, non solum memoriam afferant natura bonam atque a pueris amplificatam et corroboratam, sed eam, quamdiu in Academia versantur, etiam excolere pergant, tum libris melioris notae iterum iterumque legendis, tum locis praeclaris tam li-

(†) *Part.* II. cap. 5. §. 1, 26, 45, 46. et scriptores ibi laudati.

ligatae quam solutae orationis ad verbum ediscendis (†), tum rebus, quae antea didicerint, identidem repetendis (*).

§. 42.

Deinde sibi *vox*, ut organorum vitia, si pote, corrigamus, atque ad omnes sonos edendos os flectamus, exercitationem postulat: quae quidem ab accurate legendi cura incipienda est; tum vero in recta verborum pronunciatione poni debet; praecipue vero cernitur in scriptis orationis potissimum solutae alta voce recitandis. Mittimus plura alia, quae viri docti commendarunt (§).

§. 43.

Denique corpus ad quemvis *motum*, qui orationi conveniat, edendum exerceri debet, et ita quidem, ut

(†) Quo referenda etiam sunt *classica*, quae dicuntur, Literarum Sacrarum loca. Cff. HYPEIRUS, p. 350. VAN DER WAEYEN, p. 154.

(*) Plura memoriae adjumenta tradit ars *Mnemonica*, cui Veteres insignem operam dedisse constat. Sed acriter dolendum est, injuria temporis pleraque, quae hoc de argumento scripserunt, posteritati praerepta esse. Quae supersunt leguntur apud auctorem *Rhet. ad Herenn.* Lib. III. cap. 16 sqq. CICERONEM, *de Orat.* Lib. II. cap. 86 sqq. QUINCTIL. Lib. XI. cap. 2. Recentiores homines, qui Veterum vestigia suo quisque modo secuti sunt, recensent MORHOF. Lib. II. cap. 6. KAISER, p. 293 sqq. CLARISSE, p. 218 sqq. qui et ipsi nonnulla commendant, quae observari merentur. Sed praecipua monuisse nobis videmur.

(§) REYBAZ, p. 172 sqq. DUBROCA, p. 5 sqq. 32 sqq. EWALD et CLARISSE, p. 259 sqq. et alibi.

ut identidem scriptum recitantes, habitum nobis induamus gestusque faciamus, quos rebus ipsis consentaneos esse, et libri nos doceant hoc argumentum tractantes, et hominum ad humanitatem excultorum contemplatione viderimus, et ipsi acutiore veri pulchrique sensu intelligamus. Sed quemadmodum ad vocem bene flectendam, sic ad motum ab omni parte prudenter regundum multum opis praestabit praeceptoris vel alius viri periti praesentia, qui quaenam recte, quaenam minus recte agantur, continuo nos admoneat; nec non amicorum congressus, singulis vel alternis hebdomadibus constitutus, ubi quisque vice sua scriptionem a se elaboratam, vel locum libri alicujus in lucem editi recitet, ceteri actionis sedeant censores (†).

§. 44.

Admonitiones autem hoc in capite propositae praesertim quidem spectant ad eos, qui dicendi munere nondum funguntur; sed haud exigua tamen earum pars ab ipsis etiam Oratoribus Sacris observanda est; quippe quos nihil praetermittere oportet, quo ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani sint, idonei reddantur (*).

CA-

(†) Blair, p. 384, 385. Frossard, p. LXVIII, LXIX. Koenner. p 202 sqq. Ewald, et Clarisse, p. 365 sqq.

(*) Quae nonnulli inferunt, ut hujus laboris mittendi causam habere videantur, cum Chrysostomo, l. c. Lib. IV. cap. 8. ῥαθυμίας dicimus καὶ ὄκνου προσχήματα.

CAPUT III.

De cura animi sui morumque habenda.

§. 1.

Quamvis ad Oratorem Sacrum informandum oppido necessaria nobis esse videntur, quae utroque capite praecedente exposuimus; neminem alium tamen, quam qui *curam animi sui morumque habeat*, ad munus pro concione dicendi observatio eorum praeparabit.

§. 2.

Quaenam animi sui morumque cura ab eo habenda sit, qui ad Oratoris Sacri munus praeparatur, quaestio haud difficilis est, si ad consilium, quo quis pro concione dicere debet, mentem modo attendimus. Hinc enim apparet, omnia redire ad studium assidue in eo ponendum, *ut ipse homo sit vere Christianus.*

§. 3.

Prae omnibus igitur aliis *persuasio* requiritur animo firmiter impressa, *religionem Christianam*, quae in Literarum Sacrarum doctrinis, ad omnium locorum

tum, temporum hominumque usum traditis cernitur, *veram* et *Divinam* continere sentiendi et agendi normam et regulam (†): et persuasio quidem, quae nec coeca fide, neque mera aliorum auctoritate, sed argumentorum pondere nitatur (*).

§. 4.

Neque Oratores tamen Sacros hac de re sibi persuasum habere sufficit, sed *sensus* etiam *pietatis* ac *virtutis*, hinc emanantes, in animis eorum tanquam habitare et regnare debent: ut in promissionibus Divinitus datis acquiescant, recti et honesti studio se totos tradant, atque salutis verae et sempiternae, ad quam omnes adspirare jubemur, et se, et alios participes reddere cupiant (§).

§. 5.

Sicubi autem sensus illi pietatis ac virtutis animo revera insunt, non in occulto latebunt, sed extrinsecus se manifestabunt: quod aliter fieri nequit quam vita proba et inculpata et officiis, tum erga Deum

CHRI-

(†) Part. I. cap. 2. §. 17.

(*) REINHARD, *Lettres.* p. 93 sqq. TZSCHIRNER, *Briefe.* p. 73 sqq. *Bijdragen tot de beoefening* etc. Tom. II. pars. 2. p. 178 sqq. THEREMIN, p. 65 sqq. VEIT ENGELHARDT, *Michel Menot, ein Beitrag zur Geschichte der Homiletik.* p. 44, 45.

(§) ROQUES, p. 243. GISBERT, p. 343 sqq. JACOBI, p. 3 sqq. BOERS, p. 10 sqq.

CHRISTUMque, tum erga homines religiose explendis addicta et tanquam consecrata.

§. 6.

Nimirum hominem vere Christianum esse, quemvis quidem CHRISTI sectatorem, sed multo magis *Oratorem decet*, muneri praefectum, quod in regno ejus, his in terris condito, stabiliendo et amplificando cernitur. Illud autem Orator Sacer et hujus ipsius muneris debet gravitati; et Deo, qui provinciam ei tam honorificam per CHRISTUM credidit; et hominibus denique curae suae demandatis (†). Quocirca laudi eorum, qui moribus quidem minus commendabiles esse, sed bene tamen et efficaciter pro concione dicere feruntur, nemo bonus magnopere invidebit.

§. 7.

Quemadmodum Oratorem Sacrum decet hominem esse vere Christianum; sic illud *ei* ad provinciam suam ab omni parte bene administrandam *mirum in modum opitulatur*. Nihil enim in rebus humanis est, quod tantopere, et corporis sanitatem conservet, et mentem ad hilaritatem excitet, quam pia et religiosa officiorum hominis vere Christiani observatio: hac vero, aut sanitate destructa, aut hilaritate amota, fieri nequit, ut orationis meditandae, scri-

(†) ERASMUS, p. 787. ROQUES, p. 306, 307. GISBERT, p. 357 sqq. OSTERVALD, p. 8, 9.

scribendae vel habendae negotium Oratori ex voto succedat (†).

§. 8.

Quid? quod illa animi morumque et totius vitae conformatio ad CHRISTI doctrinam non solum Oratori Sacro, aeque atque omnibus aliis hominibus, ad sortis suae negotia bene peragenda opitulatur; sed tanti etiam habenda est, ut, liceat artem vel displinam suam magno cum applausu profiteri videamus, qui se hujus rei negligentiores praestent, Orator Sacer tamen *sine ea ne mediocriter quidem* pro concione *dicere posse* censendus sit.

§. 9.

Sicuti enim imperitos ad artem aliquam vel disciplinam instituere nequit, qui ipse eam non antea edoctus est; sic ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani sint, neminem alium, quam qui ipse homo vere Christianus esse didicerit, in concionem procedere posse, et *res ipsa* loquitur, et *veterum* confirmat *auctoritas*, ubi uno fere eodemque ore de eo inter se consentiunt, *Oratorem virum esse debere bonum*, qui auditores haud secus vitae probitate, quam orationis gravitate ad suam voluntatem flectat (*).

§. 10.

(†) Cff. scriptores s. ll. Et ipsi *voci* prodesse frugalitatem, jam notavit QUINCTIL. Lib. XI. cap. 3.

(*) CICERO, *de Orat.* Lib. II. cap. 43. QUINCTIL. Lib. XII. cap. 1. Jam MENANDER dixit: *Τρόπος ἔσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος*,

§. 10.

Deinde *experientia* docet, Oratores Sacros, quorum vita cum iis, quae pro concione populi dicunt, minus conveniat, ipsos verborum suorum vim infringere suosque adeo auditores ab eo, quod hominis vere Christiani est, avertere: virum contra, qui se ipse hominem praestet vere Christianum, verbis suis tantum adjicere commendationis, ut dici nequeat, utrum concioni magis oratione sua prosit, an *exemplo* (†).

§. 11.

Ne quis autem, quae ab Oratore Sacro pro concione dicantur, jam exemplo ejus commendari putet, dummodo *homo vere Christianus esse videatur;* bene animadvertendum est, neminem, qui talis non reapse sit, se ita custodire posse, quin identidem, gravioribus maculis in se admittendis et extrinsecus prodendis, orationi suae fidem imminuat: sed etiamsi Orator Sacer hujusmodi maculas prudenter arcere sciat; vel sic quidem in dicendi munere haerebit, nisi sensus in pectore gerat homine vere Christiano dignos.

§. 12.

τες, οὐ λόγος. Vide PLUTARCHUM, *Mor.* p. 801. et p. 1033. Cff. PLATO in *Gorg.* Tom. I. p. 508. et LONGINUS, cap. 9.

(†) BLAIR, p. 368 sqq. FENELON, p. 35 sqq. SCHRANT, p. 18 sqq. SCHOTT, Tom. I. p. 315 sqq.

§. 21.

Ab altera parte *agenda* sunt, quae pietatis ac virtutis studium homine Christiano dignum augent et promovent: cujus numeri sunt iterum iterumque repetita rerum Christianarum nec non Divinae earum, tam originis, quam auctoritatis cogitatio; diligens Literarum Sacrarum lectio; contracta cum recti maxime et honesti cultoribus amicitiae consuetudo; concionis populi frequentatio; coenae ad memoriam CHRISTI recolendam institutae celebratio; mentis suae quotidiana exploratio; assidua et intenta Dei O. M. precatio (†).

SECTIO II.

De Praeparatione propiore.

---

§. 1.

A praeparatione, quam huc usque exposuimus, remotiore distinguitur *propior*, quae ab Oratore Sacro ad auditoribus suis, ut homines vere Christiani sint, oratione quavis persuadendum institui totiesque repeti debet, quoties ille ad dicendum pro concione vocatur.

§. 2.

(†) GISBERT, p. 66 sqq. JACOBI, p. 5 sqq. SCHOTT, p. 345 sqq.

§. 14.

Sed etiamsi Orator Sacer, cui hominis vere Christiani desunt sensus, indole sua callide obtegenda, a nemine prorsus perspiciatur; *multa* tamen *ei obstant, quominus muneri suo satisfaciat*: mens ad CHRISTI doctrinam, et perpendendam tardior, et intelligendam hebetior; auribus populi magis quam Deo CHRISTOque placendi studium; nimia superstitionis vel vitiositatis communis indulgentia; inconsulta reprehensionum, irarum, invidiae formido, et hujus generis plura (†): neque vero auditorum animos, cum ipse frigeat, ad sentiendi et agendi rationem vere Christianam oratione sua inflammabit (*).

§. 15.

Et Orator Sacer quoque, quem animi a CHRISTO magis alieni, quam CHRISTO devoti, sollicitat angitque conscientia, *in Dei auxilio fiduciam* illam *collocare veretur*, quae ad graviter efficaciterque dicendum excitat et corroborat virum, integritatis suae sibi conscium, et nihil ardentius expetentem, quam ut auditorum suorum unumquemque hominem, qualis ipse sit, vere Christianum faciat.

§. 16.

(†) ERASMUS, p. 774. ROQUES, p. 307 sqq. OSTERVALD, p. 6, 7. THEREMIN, p. 188 sqq. Multa jam egregie monuit CHRYSOST. Lib. V. cap. 2 sqq.

(*) ERASMUS, p. 847. GAUSSEN. p. 115. GISBERT l. c. THEREMIN, p. 63 sqq.

§. 16.

Quae cum ita sint, omnibus, qui ad dicendum pro concione in Academia erudiuntur, haud dubie *praeparatione* opus est, *qua homines reddantur vere Christiani:* hujus autem rei gravissimae negligentia virum juvenem quemvis jam imparem facit ad Oratoris Sacri munus faustis ominibus capessendum atque deinceps bene explendum; multo magis vero vita sordida et dissoluta, qua quis nomen suum maculis adspergat, et innocentiae conscientiam sibi eripiat (†).

§. 17.

Quemadmodum autem nihil eorum, quae verum CHRISTI sectatorem ornant et illustrant, hac in praeparatione omittendum est; sic summopere etiam expetendae sunt animi *modestia*, *mansuetudo*, *humanitas*, *benevolentia* in omnes homines propensa, aliaeque virtutes, quibus Orator Sacer sibi aditum ad pectora auditorum quam maxime conciliat (*).

§. 18.

Animadvertere quoque juvabit, Oratorem Sacrum, si omnia sibi promiscue indulgeat, quae aliis hominibus in vita communi conceduntur, in vulgi offensionem facile incurrere, et nimium temporis rebus

(†) BOERS, p. 12 sqq.

(*) ERASMUS, p. 824, 830, 832. al. ROQUES, p. 316 sqq. GAICHIÈS, p. 29 sqq. *Bijdragen tot de beoefen.* Tom. II. part. 3. p. 386 sqq.

§. 3.

Si aptum *dicendi argumentum* Oratori non occurrit ultro, haud raro illud ei monstrabit libellus, quo *themata*, prout in mentem venerant, verbo notata, nec non illustriora quaedam antiquioris et recentioris temporis eventa, tanquam in *calendario*, anno ac diei suo assignata sunt: cujusmodi igitur libellus paulatim conscribendus, et argumento dicendi frustra quaesito, evolvendus atque legendus est (†).

§ 4.

Sed Oratori Sacro, hac quoque lectione sibi minus ex voto succedente, nihil aliud restat, quam *Literarum Sacrarum* circumspicere *locum*, qui ipse argumentum dicendi praebeat:' si quis autem, collectione quadam locorum insignium sibi ante facta, iisque annotatione argumenti inde eruendi verbo adjecta, hoc scriptum suum nunc adire et consulere solet; haud raro ulterius quaerendi labore liberabitur, et multum temporis lucrabitur, quod alii Literis Sacris caeca exspectatione percurrendis consumunt (*).

§. 5.

Ceterum operae pretium erit curare, ut et quaedam ipsius argumenti constitutio biduum triduumve ipsam praecedat dispositionem atque elaborationem; quip-

(†) Cf. REINHARD, p. 129.
(*) Cf. SCHOTT, Tom. II. p. 132.

quippe quod Oratorem Sacrum magnopere juvabit, ut interea causam suscipiendam ab omni parte considerare, singula quasi ruminare, atque, ingenii et *Phantasiae* ope, multa sibi luminosa ad proximum usum parare possit (†).

§. 6.

Inventa materia, *formae partiumque* sequitur inventio, id est, orationis *dispositio* ad regulas illas *unitatis*, *concinnitatis* et *simplicitatis*, quibus orationem tam *Analyticam* quam *Syntheticam* subjectam esse monuimus. Hoc autem opus haud scio, an omnium difficillimum sit (*).

§. 7.

Initium duci debet a *Literarum Sacrarum loco*, qui pro concione tractabitur, tam accurate perlustrando, ut penitus intelligatur, et nihil aut ambiguitatis aut obscuritatis ei relinquatur (§): tum vero orationis *argumento*, sive ante, seu post loci illius inventionem in mentem incidit, diligenter excusso, ejus et *propositio* quaerenda est et *partitio*: quod nunc progressu, nunc regressu fieri constat.

§. 8.

(†) NIEMEYER, *Homiletik* etc. p. 191, 192. AMMON, p. 175.

(*) QUINCTIL. Lib. VII. cap. 1. MAURY, Tom. I. p. 62.

(§) Literarum Sacrarum loca vel historiam, vel doctrinam, vel utramque simul continent: sed quibusnam nominibus eorum differat lustratio, docere conantur OSTERVALD, p. 75 sqq. KOENIGSBERG, p. 142 sqq. REINHARD, p. 130 sqq. aliique.

§. 8.

Si quis, antequam omnia in ordinem disponere incipiat, argumento, quod sibi sumsit, meditando, jam propositionem ejus invenit; hinc *progredi* debet ad illam in partes suas resolvendam et distribuendam: partibus autem constitutis, divisiones earum in membra faciendae sunt.

§. 9.

Si quem vero minus clara et perspicua argumenti cogitatio impedit, quominus propositionem ei respondentem invenire possit; opus est *regressu*: quo rerum, quae dicendae videntur, capita primum, prout ipsi in mentem veniunt, colligantur; deinde in ordinem quendam cogantur; denique in membra et partes dividantur: quo negotio tandem peracto saepissime eveniet, ut non solum omnis obscuritas ab argumento remota sit, sed propositio etiam se ipsa ultro offerat.

§. 10.

Quoniam autem experientia docet, *assiduum stili usum* claras et perspicuas rerum notiones, virtute sua mirabili et plane singulari, tanquam ex abditis animi recessibus elicere oculisque subjicere; Oratori Sacro hac in dispositione laboranti quam maxime suadendum est, ut, mentis acie in argumentum intenta, omnia, quae sibi occurrunt, adscribat, neque iis alia continuo addere, alia vero demere, corrigere, transponere desinat, donec orationi suae li-

tum, temporum hominumque usum traditis cernitur, *veram* et *Divinam* continere sentiendi et agendi normam et regulam (†): et persuasio quidem, quae nec coeca fide, neque mera aliorum auctoritate, sed argumentorum pondere nitatur (*).

§. 4.

Neque Oratores tamen Sacros hac de re sibi persuasum habere sufficit, sed *sensus* etiam *pietatis* ac *virtutis*, hinc emanantes, in animis eorum tanquam habitare et regnare debent: ut in promissionibus Divinitus datis acquiescant, recti et honesti studio se totos tradant, atque salutis verae et sempiternae, ad quam omnes adspirare jubemur, et se, et alios participes reddere cupiant (§).

§. 5.

Sicubi autem sensus illi pietatis ac virtutis animo revera insunt, non in occulto latebunt, sed extrinsecus se manifestabunt: quod aliter fieri nequit quam vita proba et inculpata et officiis, tum erga Deum

CHRI-

(†) Part. I. cap. 2. §. 17.

(*) REINHARD, *Lettres.* p. 93 sqq. TZSCHIRNER, *Briefe.* p. 73 sqq. *Bijdragen tot de beoefening* etc. Tom. II. pars. 2. p. 178 sqq. THEREMIN, p. 65 sqq. VEIT ENGELHARDT, *Michel Menot, ein Beitrag zur Geschichte der Homiletik.* p. 44, 45.

(§) ROQUES, p. 243. GISBERT, p. 343 sqq. JACOBI, p. 3 sqq. BOERS, p. 10 sqq.

que majora et minora insunt membra, sibi describant. Sed quaestio est, num Oratori Sacro hunc laborem alienum sibi adeo vindicare liceat, ut ad lineamenta illa suas ipse faciat habeatque Orationes.

§. 13.

Equidem Oratores Sacros, qui gravibus occupationibus impediti, quominus orationis habendae argumenta bene disponere possint, vel ingenii sui vires frustra experti, hoc alieno labore *nonnunquam* utantur, acerba reprehensione dignos non esse censeo; dummodo in lineamentis, quae sui juris faciunt, proprio Marte elaborandis omnem animi curam et diligentiam ponant (†).

§. 14.

Sed acriter reprehendendi sunt, qui *consuetudinem sibi adsciscunt* lineamenta orationis ab aliis petita, ut pro concione dicant, sequendi: primum enim, uti nemo ad alienam sentiendi normam omnino bene dicere potest, sic ipsi committunt, ut sua saepissime langueat nervisque et viribus careat oratio; deinde haud pauca, quae aliis locis et temporibus scripta sunt, concioni sibi demandatae nequidquam proponere deprehenduntur; denique mentis suae facultates, quae argumento etiam inveniendo exerceri excolique debent, torpescere sinunt et

(†) JACOBI, p. 58 sqq. THYM, p. 151. *Iets over eenige gebreken* etc. p. 9 sqq.

et socordiam alunt Oratori Sacro turpissimam (†).

§. 15.

Praesertim atro carbone notanda est impudentia eorum, qui Orationes alienas tanquam suas recitare haud erubescunt: quod hominum genus dici non potest quam vehementer praeclarum dedecoret Oratoris Sacri munus, suamque ipsius famam et existimationem laedat: ut, si quando illi orationem habent a se, uti par est, elaboratam, ne sic quidem, monente jam CHRYSOSTOMO (*), suspicionem *plagii* vitare vel a se propulsare possint (§).

§. 16.

Non ita peccare censendi sunt, qui orationes a se elaboratas, quas pro concione jam habuerunt, semel iterumque, post satis longa temporis intervalla, repetunt. Et vero eas repetere debent, si de Literarum Sacrarum locis, quorum melior sibi non suppetat tractatio, quam ante proposita, dicere jubentur. Sed uti memoriae minus facile mentique minus gratum esse solet, quod pridem, quam quod recens conscriptum est; sic orationem et veterem, quantum fieri potest, emendare, et novam, quotiescunque quis

(†) NIEMEYER, p. 192. AMMON, p. 175. DAHL, p. 353.

(*) l. c. Lib. V. cap. 1.

(§) Perperam nonnulli, post AUGUSTINUM, *plagium* illud defendere conati sunt, uti GAICHIÈS, p. 42, 43. Sed legantur HYPERIUS, *de form. conc.* p. 345 sqq. DAHL, p. 353, 354. AMMON, aliique s. ll.

quis in concionem vocatur, elaborare officium est nunquam nisi gravi de causa omittendum (†).

§. 17.

Atque haec orationis *elaboratio*, uti ad regulas in superiore hujus libri parte propositas instituenda est, ita his *quatuor virtutibus* distingui debet, ut et tempestiva, et continua, et libera, et religiosa sit.

§. 18.

Tempestivam dicimus Orationis elaborationem, si serius non suscipitur, quam ad opus mature absolvendum necesse est: quod cum nemo non intelligit, per se commendari, tum Orator Sacer illud et muneri suo debet et concioni sibi demandatae.

§. 19.

Qui enim elaborationem tempestive aggrediuntur, non solum omnem animi attentionem in eo collocare possunt, ut, aliena quaevis a causa sua arcentes, rebus verbisque utantur ei accommodatis; sed temporis etiam sibi sumunt spatium, quod requiratur ad orationem, tum in aequales, quantum res ipsa patitur, partes digerendam, tum transitionibus aptis jungendam, tum, memoriae causa, paucis paginis nitidaque scriptione comprehendendam: ex festinatione con-

(†) Part. II. cap. 1. § 14 sqq. Cff. *Examen de la maniere* etc. p. 96 sqq, BAUER, *Paragraphen* etc. p. 26, 27.

contra rerum minutarum coacervatio, copiosa et vana loquacitas et multa alia incommoda oriuntur (†).

§. 20.

Verumtamen inde non sequitur, imitatione dignos esse, qui jam dies aliquot, antequam in concionem prodeundum sit, orationem elaboratam et paratam habere soleant: quo quidem more recipiendo, metuendum est, ne quis, oratione per otium nimis limanda, omnem ei vim, et succum, et sanguinem, et vel pulchri venustique colorem detrahat; laborem ejus suo tempore memoriter ediscendae sibi difficiliorem reddat; et animi tandem ardore, quo eam conscripsit, paulatim comminuto et exstincto, ad dicendum frigeat (*).

§. 21.

Iisdem fere de causis suademus, ut orationis elaboratio *continua* sit; id est, ut non identidem aliis negotiis agendis excipiatur, sed ab initio sine ulla, praeterquam vitae necessitatibus debita, intermissione, deinceps ad conclusionem usque procedat. Hac enim elaborandi ratione Orator Sacer *Phantasiam* suam maxime et sensum inflammabit; ardorem sibi inditum conservabit; ipsique memoriae ministrabit, quod facile ab ea accipiatur et teneatur. Prae-

(†) Gaichiès, p. 41, 42. Jacobi, p. 124 sqq. Maury, Tom. I. p. 369.
(*) Maury, l. c. p. 395.

Praeterea vero curabit, ut tota sibi omnino constet et conspiret oratio, atque omnia opus ostendant ab eodem auctore profectum (†).

§. 22.

Quae cum ita sint, Oratores Sacros, spreto nonnullorum consilio, ut singulis orationis partibus absolutis intermissio capiatur, etiam atque etiam adhortamur ad negotia quaevis, quibus continua orationis elaboratio impediatur, vel occupanda, antequam opus illud inchoent, vel, si fieri potest, amolienda et differenda, usque dum pro concione dixerint.

§. 23.

Tertia virtus in elaborationis libertate cernitur: *libera* autem est, si quis orationem ex sua ipsius mente parit, neque ab aliorum pendet libris. Quod non solum hominem decet ingenuum et Oratoris Sacri titulo insignitum; sed ad vim et efficacitatem dicendi etiam requiritur. At ne hoc tamen minus intelligatur, sedulo cavendum est.

§. 24.

Ad Literarum Sacrarum explicationem procul dubio ab Oratore adhibendi sunt libri, et, si in loco ambiguo aut obscuro versatur, alii quidem post alios, usque dum interpretem repererit ambiguum aut

(†) Osterwald, p. 72. Tittmann, p. 234 sqq.

aut obscurum illud amoventem et tollentem; at duos tamen vel tres commentarios, in suo genere praestantes, sibi sumere juvat, qui et de qualicunque loco primum consulantur, et, nisi quid relinquunt desiderabile, soli duces habeantur: nulli vero commentarii majoris fieri debent quam quasi duces, quos Orator sequatur, ut Scriptoris Sacri mentem suis ipse verbis concioni explicet.

§. 25.

De orationis argumento libros legere, contemplativam religionis doctrinam, vel disciplinam moralem, vel historiam *Ecclesiasticam* via et ratione tractantes, quamvis viro ad dicendi munus bene parato in plerisque causis minus necessarium est, semper tamen ei licet, et nonnunquam insigniter proderit; sed plura inde mutuari non oportet, quam nudas rerum notitias, quas Orator ad suum loquendi morem auditoribus proponat.

§. 26.

Neque acriter reprehendere ausim homines, qui argumentum aliquod tractaturi, *orationem a viro claro* de eo *habitam inspiciunt et legunt;* at illud tamen, cum plerumque, experientia teste, elaborationis libertati officiat, minus suadendum, quam dissuadendum est: sed postquam quis ex concione domum redierit, orationis hujusmodi lectio, ad errores suos deprehendendos et corrigendos, haud raro multum ei afferet utilitatis.

§. 27.

Vehementer vero improbanda est orationis elaborandae ratio nonnullis usitata, ut, quasi de mentis suae viribus desperantes, ingenti librorum multitudine circumquaque tanquam obsessi sedeant, nunc hunc, nunc illum, nunc alium inspiciant, et quod sibi placet, promiscue describant: unde tandem Oratio existit, vestimenti similis, quod inepte ex pannis versicoloribus consutum est.

§. 28.

Tanto magis autem omnes boni sibi ab hac inepta orationis Sacrae elaborandae ratione cavere debent, quanto certius est, qui semel ita agere adsueverit, sensim sensimque audaciorem fieri ad scripta aliorum compilanda suisque locis illustrioribus spolianda: hujusmodi vero hominem haud secus Divinae, quam suscepit, causae majestatem miserum in modum obscurare, et ipsum gravissimas nequitiae suae poenas dare, ac turpissimum illum *plagiarium*, qui integras aliorum orationes pro suis venditet (†).

§. 29.

Religiosa denique orationis elaboratione conspicuus est, qui huic operi, muneris sui gravitatem probe penitusque sentiens, omnes vires Divinitus sibi datas sine taedio aut languore impendit, atque il-

(†) Cff. Scriptores ll. §. 15.

illud maxime, ita peragit, ad regnum CHRISTI, quod in fide et caritate cernitur, ulterius promovendum et auditoribus suis persuadendum, ut homines vere Christiani sint (†).

§. 30.

Hic igitur omnia, quae sibi ad auditores suos illustrandos, emendandos et consolandos veri rectique et honesti dictant sensus, in pectore religionis Christianae pleno regnantes, constanter et perseveranter adscribet, hominum quidem imbecillitati se accommodans, iniqua vero eorum judicia minus curans, quam veneranda ipsius Dei CHRISTIque mandata (*).

§. 31.

Contra vero vir religiosus omnia, quae a vero, recto et honesto aliena aut saltem ad auditores illustrandos, emendandos et consolandos nullius usus sunt, etiamsi proponendis iis ingenium suum ostentare, vel homines delectare possit, diligenter ab oratione arcebit, neque aliorum exemplis ab hoc pietatis ac virtutis tramite se averti patietur.

§. 32.

Jam hac tempestiva, continua, libera et religiosa orationis Sacrae elaboratione peracta, nihil erit utilius,

(†) GISBERT, p. 45 sqq. THYM, p. 138, 139.
(*) MAURY, Tom. I. p. 53. sqq. THEREMIN, p. 74 sqq.

lius, quam *scriptum* a capite ad calcem *alta voce recitare*, eique, quoad per otium licet, adjicere, quae praetermissa, corrigere vero, quae perversa esse videantur (†).

§. 33.

Ceterum hoc loco de illa tantum monuimus orationis Sacrae praeparatione, quam ceteris praeferendam esse judicamus (*): sed nemo prudens ex iis non intelliget, quomodo hac in re versandum sit, si quis se ad dicendum pro concione non aliter, quam vel oratione meditanda, vel lineamentis ejus scribendis praeparare constituerit.

CAPUT II.

De Praeparatione, quae ad orationem Sacram habendam pertinet.

---

§. 1.

Oratione Sacra, quemadmodum fieri oportere commonstravimus, absoluta, sequitur *Praeparatio, quae ad* hanc *orationem habendam pertinet.* Ea autem, ni-

(†) OSTERVALD, p. 50 sqq. MAURY, p. 381.
(*) Part. II. cap. 5. §. 25.

ae relegamus (†); identidem, oculis clausis vel ab eo aversis, periculum ejus memoriter repetendi faciamus; vespertinas maxime, si fieri potest, horas huic operi statuamus; memoriam denique nobis acquirere studeamus *localem*: cui mirifice succurret scriptum, in quo, ut superius monita nunc mittam (*), et sententiae singulae a litera majore, et cujusvis partis membra a novo versu incipiant, nec non distinguendi nota, tam excitatis Literarum Sacrarum locis, quam argumenti capitibus subjecta sit. (§).

§. 8.

Fatendum quidem est, hominem muneri suo recens praefectum, etiamsi harum rerum observantissimus sit, haud sine magno negotio orationem memoriae mandaturum esse; sed qui se molestiae metu hinc semel absterreri patitur, verendum est, ut hunc unquam suscepturus sit laborem: qui vero inde ab eo tempore, quo primam pro concione habere debet orationem, laborem illum strenue aggreditur, et, quoties denuo dicendum est, diligenter persequitur, se brevi adeo exercebit, ut

et

(†) Tacite, an voce etiam sublata, haec lectio fieri debeat, dirimere non ausim: illud quidem ut ego more reciperem, utriusque rationis fecit periclitatio; sed hoc communi fere consensu volunt viri docti.

(*) Sect. II. cap. I. §. 19.

(§) QUINCTIL. L. XI. cap. 2. TITTMANN, p. 301 sqq. DAHL, p. 360, 361. Praecipue MAASZ, *Versuch über die Einbildungskraft.* E. 1. 1797. p. 119, 120, 223 sqq. alibi. Cff. etiam quos laudavimus Sect. I. cap. 2. §. 41.

uni quidem fortasse alterique placet, sed minus tamen probandum videtur; quoniam, hac ingenti rerum tanquam massa comprehendenda, et ipse Orator praeter modum fatigatur, et ad omnia ediscenda nimium temporis postulatur.

§. 5.

Multo satius profecto est, partibus orationis in decem, duodecim, vel paulo plura aut pauciora membra divisis, unumquodque eorum, simul atque elaboratum sit, memoriae tradere: sed hoc tamen, uti aliquid habet incommodi, si, opere scribendi ulterius procedente, nonnulla jam ante scriptorum corrigenda esse apparet; sic *Phantasiae* et sensus ardorem, ad incepta assidue persequenda tendentem, medio tanquam in cursu identidem coërcet.

§. 6.

Utique optimam viam ingressum esse putamus, qui, integra oratione elaborata, membrorum supra dictorum singula, donec ad verbum reddi possint, deinceps ediscat; atque hoc opere tandem peracto universa semel vel bis memoriter repetat.

§. 7.

Quo promtius autem fideliusque Oratio memoriae mandetur, hoc in labore ita versandum est, ut in loco ediscendo, ceteris quibusvis a cogitatione remotis, omnem mentis aciem et attentionem figamus; eum iterum iterumque lente et sine ulla festinatione

ne relegamus (†); identidem, oculis clausis vel ab eo aversis, periculum ejus memoriter repetendi faciamus; vespertinas maxime, si fieri potest, horas huic operi statuamus; memoriam denique nobis acquirere studeamus *localem*: cui mirifice succurret scriptum, in quo, ut superius monita nunc mittam (*), et sententiae singulae a litera majore, et cujusvis partis membra a novo versu incipiant, nec non distinguendi nota, tam excitatis Literarum Sacrarum locis, quam argumenti capitibus subjecta sit. (§).

§. 8.

Fatendum quidem est, hominem muneri suo recens praefectum, etiamsi harum rerum observantissimus sit, haud sine magno negotio orationem memoriae mandaturum esse; sed qui se molestiae metu hinc semel absterreri patitur, verendum est, ut hunc unquam suscepturus sit laborem: qui vero inde ab eo tempore, quo primam pro concione habere debet orationem, laborem illum strenue aggreditur, et, quoties denuo dicendum est, diligenter persequitur, se brevi adeo exercebit, ut et

(†) Tacite, an voce etiam sublata, haec lectio fieri debeat, dirimere non ausim: illud quidem ut ego more reciperem; utriusque rationis fecit periclitatio; sed hoc communi fere consensu volunt viri docti.

(*) Sect. II. cap. I. §. 19.

(§) QUINCTIL. L. XI. cap. 2. TITTMANN, p. 301 sqq. DAHL, p. 360, 361. Praecipue MAASZ, *Versuch über die Einbildungskraft.* E. 1. 1797. p. 119, 120, 223 sqq. alibi. Cff. etiam quos laudavimus Sect. I. cap. 2. §. 41.

et memoria omnia, quae scripserit, celeriter accipere atque auditoribus ad verbum tradere, et ipse tamen pro temporis ratione ab iis discedere possit (†).

§. 9.

Ut Oratio pro concione bene pronuncietur, illud, quod supra jam commendavimus (*), eam semel absolutam *alta voce recitari*, insigniter juvabit: unde et alterum efflorescet bonum, nimirum saepe animadverti, quae minus numerose scripta sint atque emendatione indigeant. Sed ab hac exercitatione domestica omnis abesse debet cum importuna organorum loquendi fatigatio, tum declamatio adeoque cantatio (§).

§. 10.

Deinde Oratori Sacro *ad actionem bene regundam duo proderunt:* aedium, ubi nondum pro concione dixit, accurata inspectio, ut earum structuram, spatium, quod continent, et plura alia, quae iis propria sunt, ante dicendi horam cognoscat; et sedula animi attentio ad cavenda, quae se in voce edenda motuque faciendo antea commisisse aut committere solere, amicorum admonitione edoctus sit, vel suâ experientia sciat (††).

§. 11.

(†) NIEMEYER, p. 202 sqq. KONIKEN B. p. 178 sqq. AMMON, p. 239 sqq. TITTMANN. p. 300.
(*) Sect. II. cap. 1. §. 32.
(§) KONIKEN. p. 179. GROTEFEND, p. 210.
(††) TITTMANN, p. 304.

§. 11.

An vero praeterea Oratoris Sacri vox et motus praeparatione quadam indigeant, disputari potest. Nemo certe sibi rebusque suis melius consulere videtur, quam qui, studio actionis dignae et concinnae, jam longe antequam dicendi muneri initiatur, incipiendo et assidue persequendo, vocem motumque ita regere adsuescit, ut ad singulas orationes, uti par est, habendas exercitatione ulteriore non opus sit (†).

§. 12.

Huc usque de ipsa oratione habenda monuimus; sed qui pro concione populi dicant, rerum Sacrarum tantum partem peragere, nemo paulo intelligentior ignorat. Altera vero earum pars in *ritibus Sacris* cernitur *concioni usitatis;* et ne hanc quidem silentio prorsus praetermittere possumus: at non aliter tamen ritus illi hoc in libro considerandi sunt, quam quatenus inter eorum administrationem, et orationem aliqua intercedit necessitudo (*).

§. 13.

Quemadmodum nempe iis, quae pro concione dicuntur, recta rituum Sacrorum administratio, ad auditoribus persuadendum, ut homines vere Christiani

(†) REYBAZ, p. 181, 189. KAYSER, p. 325, 326.

(*) *Examen de la maniere* etc. p. 32 sqq. *Revue Protest.* p. 286.

ni sint, *magnum gravitatis* addit *cumulum;* sic, qui hac in muneris sui parte minus recte versatur, orationis suae, etiamsi eloquentissima sit et modo plane eximio habeatur, *vim et efficacitatem* ipse sine dubio *infringit.*

§. 14.

Hinc sequitur, rituum illorum administrationem tanti esse ponderis, ut ea diligenter praeparanda Orator faciat, quod operae pretium sit. Quod de ritibus quidem, qui in aedibus Sacris celebrari solent, dici potest universis; sed *duos* inprimis spectat, cum oratione arctissime copulatos, et nulli hominum Christianorum concioni non usitatos, precationem et cantionem (†).

§. 15.

Precatio, qua homines Christiani, una cum tenuitatis et vitiositatis suae confessione, laudem Divinam celebrantes, Deo pro beneficiis ejus gratias agentes, et tam bonorum dationem, quam malorum amotionem ab eo expetentes inducuntur, ita institui debet, ut, spreta cujusvis rei, cum demonstratione, tum narratione, nihil aliud contineat, praeter pectoris pietatis virtutisque sensibus commoti desideria, studia, vota, quam paucissimis ver-

(†) DAHL, p 370 sqq.

verbis nec non clara voce et sine gestibus enunciata (†).

§. 16.

Orationem, ut omnes norunt nostrates, et *praecedere* et *sequi solet precatio:* utramque vero ei, quantum fieri potest, accommodare, et lex jubet progressionis perpetuae Oratori Sacro statuta, et cujusvis boni vult animus causa sua plenus. Itaque altera ejus esse debet argumenti, ut praematura quidem et obscura rerum tractandarum occupatio arceatur, sed concio tamen ad orationem audiendam quasi per transitum ducatur; altera, ut meram dictorum aspernatur repetitionem, ita verba sibi postulat, quibus confirmentur auditores in excitato pietatis et virtutis ardore: quid? quod haud raro augetur orationis utilitas, si salus publica et privata, pro qua Deo supplicandum sit, Summo ejus Numini a parte modo spectata commendatur (*).

§. 17.

Jam ut Oratorem Sacrum, nisi antea se praeparaverit, ad hujusmodi precationem habendam vix, aut ne vix quidem parem et idoneum esse constat; ita ad dicendum pro hominibus omnem curam et di-

(†) *Iets over eenige gebreken* etc. p. 116 sqq. SCHOTT, Tom. III. p. 61 sqq.

(*) AMMON, p. 193, 194. DAHL, p. 228 sqq. Anonymus apud TZSCHIRNERUM, l. c. Tom. II. Part. 2. p. 58 sqq. SCHOTT, p. 74 sqq.

diligentiam adhibere, Deum vero cum iis sine ulla praeparatione et tanquam de improviso adire, inconcinnum, temerarium atque omnino nefas est. Oportet igitur precum faciendarum capita ad lineas quasdam calamo expressas, vel, quod alii praeferunt, ad cogitationem in animo latentem meditari. Sed haud magnopere commendaverim totius precationis scriptionem; multo minus vero hujus scripti lectionem pro concione populi (†).

§. 18.

Alter ritus concioni usitatus, cujus ratio ab Oratore Sacro habenda est, cernitur in *cantione*, quae, si bene quaesita est, homines Christianos haud raro tantopere afficit, ut orationi, vel aditus ad pectora aperiatur, vel multum ponderis addatur.

§. 19.

Quod tamen ut prospere eveniat, ab altera parte requiritur cautio, ne quid hominibus praebeatur cantandum, quod vel eorum longe plurimis minus conveniat, vel ab hujus temporis moribus aliena describat, vel misere langueat humique serpat, vel modo suo difficultatem multitudini pariat; ab altera vero Orator Sacer id agere debet, ut cantionem auditoribus proponat, si vel orationis argumentum non prorsus continentem, ad illud tamen haud longo

(†) *Examen de la maniere* etc. p. 64 sqq. CLARISSE, p. 304, 305. *Iets over eenige gebreken*, p. 125 sqq.

go intervallo accedentem: nec sane temporis, quod ad hujusmodi cantionem inveniendam impenditur, frustra transire censenda sunt momenta (†).

§. 20.

Postremum, quod haec Praeparatio continet, *animi conformatio* est *ad bene et efficaciter dicendum*: quae cum per se Oratorem Sacrum decet, tum quoque utilissima esse potest, ut ille, etiamsi quid inopinati evenerit, dicendi munus bene expleat.

§. 21.

Primum igitur cuilibet Oratori Sacro, praesertim vero ei, qui in concionem celebriorem vocatur, haud raro proderit, priusquam aedes Sacras intraverit, omnia, quae in tali hominum congressu fieri possunt et revera satis saepe fiunt, sibi proposita habere: quod eum maxime corroborabit, ad metum et pavorem inanem, orto quodam praeter spem tumultu, repellendum suamque viam sine intermissione persequendam.

§. 22.

Secundo Oratoris Sacri animus plenus esse debet cogitatione et praestantiae muneris Divinitus sibi demandati, et rei gravissimae, qua in agenda versabitur, et verae adeo atque aeternae, cujus curam suscepit, auditorum salutis: qui enim haec menti habet

(†) Jacobi, p. 156 sqq.

bet infixa, omnes suas intendet vires, ut officio suo bene atque utiliter fungatur.

§. 23.

Tertio denique Oratori Sacro imposita est precatio domestica, ut ipse, tum dicendi munus rite expleat, tum maxime ad celebrandam Dei CHRISTIque laudem et ad salutem auditorum promovendam atque augendam dicat: cujusmodi precationi, cum dubitandum non sit, quin pro benignitate sua annuere velit Providentia Divina; certo confidimus, Oratorem, qui eam ex pectore sincero pietatisque ac virtutis studioso emiserit, voti sui compotem futurum, et auditoribus suis dicendo persuasurum esse, ut homines sint vere Christiani.

L I-

PARS

te-

quod

con-

red-

SECTIO

SECTIO II.

De Praeparatione propiore.

sed



ERRATA GRAVIORA.

Pag.	22.	§. 17.	cernatur.	*l.* usurpetur.
—	33.	§. 8.	animis.	*l.* animos.
—	37.	§. 19.	ibi.	*l.* in iis.
—	40.	§. 28.	hac vero *luce* cum caret.	*l.* hanc vero *lucem* cum latere sinit.
—	47.	§. 10.	ipsa.	*l.* ipse.
—	72.	§. 4.	pro quo.	*l.* pro qua.
—	88.	§. 38.	— —	— — —
—	92.	§. 46.	uti sint.	*l.* usi sint.
—	99.	Not.	(*) Cap.	*l.* (†) Cap.
—	108.	— (‡).	SANDDRINK.	*l.* SANDBRINK.
—	112.	— (*).	Leguntur.	*l.* Legantur.
—	157.	§. 72.	hic homines.	*l.* sic homines.
—	188.	§. 62.	poëtarum more.	*l.* sermone ligato.
—	224.	P. II.	c. IV. De Orat. Sacrae dictione.	*l.* P. II. c. V. De Orat. Sacrae actione.
—	232.	Not. (§).	PLANK.	*l.* PLANCK.
—	261.	§. 29.	perperisse.	*l.* peperisse.
—	320.		concione.	*l.* concioni.

Cetera, et quae leviora sunt, tu, Lector benevole! ipse corrigas!



